



Sammelbd

7. Bd = vrb : Kt 4065

Gl.

+

JEHOVÆ ALTISSIMA JUBERNANTE
DISPUTATIO INAUGURALIS
DE IURE
MANUS DEXTRÆ,

*Vom
Recht der rechten Hand*

QUAM
EX ILLISTRIS FACULTATIS JURIDICÆ DECRETO
IN ACADEMIA JENENSI
SUB PRÆSIDIO
RECTORIS ACADEMIÆ MAGNIFICI
VIRI ILLISTRIS

DN. CHRISTIANI WILDVOGELII,
JCTI FAMIGERATISSIMI

CONSILIARII SAXO-ISENACENSIS INTIMI, CURIAE PRO-
VINCIALIS ET SCABINATUS, NEC NON FACULTATIS JU-
RIDICÆ ASSESSORIS, UT ET PROFESSORIS
PANDECTARUM ORDINARI.

DOMINI PATRONI AC FAUTORIS SUI DEVENERANDI
PRO LICENTIA

SUMMAS IN UTRIQUE JURE DIGNITATES ET PRIVI-
LEGIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI

AD DIEM 6. MART. M DCC. HORIS ANTE ET
PROMERIDIANIS

IN AUDITORIO JCTORUM
PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTET

JOHANN. ALBERT. GUTZMER,
ROSTOCH. MEGAPOL.

JENÆ, RECUSA M DCC XIV.

DISPUTATIO IN HAGIARIA
DE IURE
MANUS DEXTRAE
PROTETRUM
MANO
EX HISTORIS RACCOLTATIS HABITAE ET DESCRIBATAS
IN ACADEMIA HENSCHEI
SUB TUTORIBUS
RECTORIS ACADEMIE MAGNIFICI
LITERARUM
DN. CHRISTIANI MUNDAGELLI
ICII HAGIARIA
CONSTITUTA A PROPHETIS HABITATIS INTIMI CURIÆ PRO
ALLEGORIAS ET METAMORPHOSIS GENOM PREDICATORIBUS
KORE EGYPTORUM ET TUTORES
GEMINATRUM ORIGINARI
DOMINI PETROVA SC. PATRONA SANCTAE UNIVERSITATIS
HISTORICUS
SUMMI IN HISTORICIS SCIENTIAS ET
EGYPTOLOGY RITE GESTARIBUS
AD DILEM. A. M. MDC. MDCC. ANNO ET
PROMULGATA
IN UNIVERSITATE SCOTIANA
TERTIO DECENARIO
JOHANN. ALBERT. GUTZMERM
GOTHORUM MEGAVOLI
1722. RECENS. MDCC. M.

SECTIO I.

CONSIDERAT SIGNIFICA-
TIONES VOCVM.

ARTICVL. I.

DE MANV.

§. I.



MANVS a MANANDO an dicatur? *Etymolo-*
quod e corpore mediante brachio *gia-*
promanet: an a MANENDO? quod
maneat ipsa & adhæreat corpori, li-
cet digressa paulo ab eodem fuerit:
seu a MINANDO? quod elevatio-
ne dextræ minæ soleant edi, jam
non definio, cum & effective ab
omnimodâ rerum, qua inde promanant, operarumque
diveritate, aut forsan, a PROMINENDO, & sic a statu
absoluto ita dicta esse possit: Estenim ea corporis humani
portio atque membrum exterius prominens, instrumen-
tale ac ministeriale ad aëtus gerendos speciesque produ-
cendas, quas mens quidem interius concipit ac foras e-
denda præcipit, non idoneum minus quam necessarium.

§. II.

Quam varias igitur manus edit operationes, prehen- *Homony-*
dendo, attrahendo, appropriando, tum & disponendo, *mia,*
dirigendoque ac demum dimittendo, tam varia quoque
assumit significata: dum quicquid mens fingit, Manus
fabricat. Sumitur itaque I.) pro mera facultate & causa,
quando v. g. recusamus desiderata atque imposta, dicen-
do: *Non esse in nostra MANV,* h. e. nostri non esse arbitrii,
it. *Manus nobis esse ligatas.* Nam nihil esse potest in effectu,

A

quod

quod non præextitit in sua causa: & causa nihil dare potest effectui, quod ipsa non habet seu formaliter, seu eminenter. Wissenbach. de Reg. Jur. Disp. IX ad L. 54. §. 2. col. 65.

§. III.

Deinde II.) accipitur pro facto & actu exercito, eo-que hominis; ita ut opponatur his, quæ fiunt a natura: quo sensu Vlpianus opus MANUFACTVM, in L. I. §. 1. ff. de Aqu. pluv. seu quod manufactum est, opponit illi quod imbribus est congestum, ex quo agro damnum timetur: & MANV SATA, Labeo in L. 80. pr. ff. de conir. empt. vocat, quæ industria humanam & annuam reiterationem desiderant, adeoque arboribus contra distinguit, quæ per se exsurgunt, aut ex deciduis forsitan nucleus crescunt.

§. IV.

Proprius ad usum juris idem Vlpianus manum trans fert III.) quando jactum lapilli quo ædificaturo in nostrum præjudicium, interdicimus, MANUM vocat in Leg. 5. §. 10. ff. de N. O. N. verb. melius esse, eum per Praetorem, vel per MANVM, (id est Lapilli jattum:) prohibere. Sic namque manu utimur ad defensionem nostram. Extendimus autem nonnunquam eandem alio versum, animo prehendendi, tenendi, nobisque habendi aliquid, idque seu primitus nancisci rem velimus, unde manucapta & mancipia dicuntur, in debitores quoque non solvendo existentes creditoribus MANVS INIECTIO competit, qua de Matth. Coler. in process. Executio capit. IV. latius agit: seu recipere intendamus ea quæ ante habuimus, hinc Venditores MANVS INJECTIONEM reservare sibi solebant in re vendita, autore Vlpiano in L. 10. §. 1. ff. de injus Vocand & Paulo in Leg. pen. ff. de serv. exportand. Dass sie sich ihres Gutes wiederhalten wollen. Add. L. 1. & 2. C. si serv. export.

§. V.

Vterius IV.) Manus ipsi juri nonnunquam opponitur, ita ut prohibitum legibus denotet factum. Hac ratione Praeses Provinciæ adversus extraneos homines imperium

rium habere dicitur: in L. 3. ff. de Off. Presid. Si quid MANV commiserint wenn sic sich wortinnen vergriffen; prout Germanus hanc phrasin effert. Sic & Martianus impetu delinqueret ait, cum per ebrietatem AD MANVS venitur, cum Hande gemenge kommen. L. 11. §. 2. ff. de Pan. Violentiam quoque MANVS ARMA FA designat, de qua Vlpianus in L. 3. §. 7. ff. de Sepulch. violat. mit gewasseneter Hand ut & MANVS simpliciter posita: unde si forte adhibita MANV in meo solo per vim quis adficeret, interdictum quod vi aut clam locum habere dicitur in L. 9. pr. vers. idem ait. ff. Quod met. causa Manus porro pro Turba & coactis hominibus accipitur in illo Virgilii 6. Aeneid.

Hic MANVS ob patriam pugnando vulnera passus
& in L. 6. pr. ff. ad Leg. Jul. Pecul. ubi qui MANV FACTA templum effugerunt, sive juxta Gothofredi emendationem, effregerunt, ad bestias damnari jubentur.

§. VI.

Verum & negari nequit MANVM V.) pro potestate sapientius usurpari: Et haec quidem vel jure Gentium talis est, quo sensu servi sub Domini MANV esse dicuntur: in § 1. Inst. de Libertin. ubi Justinianus Imp. quamdiu, inquit, aliquis in Servitute est, MANVI ac potestati suppositus est; unde etiam Manumissus liberari dicitur a potestate, cui antea suppositus erat, prout Vlpianus loquitur in L. 4 ff. de Just. & Jur. adde L. 21. C. de furtis. ubi Imperator tractat de serua boni fid. possessore profugo sub Domini manibus nondum constituto. Atque in tali significatu ipsa S. Scriptura voce hac utitur Genes. 16. vers. 6. quanto Abrahamus uxori sua Sarai dicit: Ecce ancilla tua in MANV tua es, utere ea uti libet. Ad hanc potestatem juris gentium quoque referri potest Potestas quae Imperantibus in parentes sive subditos competit, & Manus vocari consuevit, quo pertinet illud Pompeii, qui in l. 2. §. 1. ff. de O. J. initio civitatis Romanae Reges omnia MANV gubernasse, ut &: Ovidii vulgare illud:

An nescis longas Regibus esse MANVS.

§. VII.

Verum & de potestate jure civili introducta *Manus* vocabulum accipitur, atque hinc *Manus* de Patria Potestate dicitur in L. fin. in med. C. de Emancipationibus, quin Uxor etiam in *Manum* mariti per conventionem & confarationem venire perhibetur, ut legere est apud Ciceronem in Topicis.

§. VIII.

Constat igitur haec locutio Metonymia effectus pro causa, quod ea omnia per *Manum* fiant, quanquam generalius & remote: Proprius & specialiter *Manuum* operæ sunt per artificium manus, quas compensamus mercede, quæ propterea **MANVS PRETIVM** dicitur: autore *Ulpiano* in L. 13 §. 1. in fin. de V. S. quanquam uno id vocabulo exprimat & **MANV PRETIVM** vocet *Alsenus* in L. 30. §. 3. ff. Locat. Cond. Specialissima vero manus operatio in **SCRIPTVRA** conspicitur, unde roties **MANVS** pro **Scriptura**, item Chirographo aut apacha invenitur etiam in ipsis juris Romani legibus, ut cum *Modestinus* **MANUM EMISSAM**, per cautionem interpretatur, in L. 15. ff. de **Probation**. Germanis eodem sensu dicentibus seine Hand von sich geben/ aussstellen. Id quod puro sermone per Literas itemque **Scripturam** reddit *Justinianus* in Nov. XLIX. cap. 8 indeque sumpta *Avtent. Contra qui. Cod. de Non. Numer. Pecunia. Conf. Illustris. Dn. Stryk de Jure Sensuum. Diff. VII. Cap. I.*

§. IX.

Denique per metaphoram **MANVS** prædicatur de eo, quod revera quidem manus non est, ejus tamen munia subit ac pro eadem servit, veluti Proboscis Elephanti, de quo ita *Plinius* scribit Lib. II. hist. natural. Mandunt ore, spirant & bibunt ocdoranturque baud improprie appellata **MANV**. Idem *Elephas* tanta narratur *Clementia contra minus validam*, ut in gręge pecudum occurrentia **MANV** dimoveat, nequid obterat imprudens, & *Quintus Curtius*, Lib. V. practique, ait, *terris.*

Sect. I. Art. II. De Significatione voci Dextra.

terribilis illa facies erat, cum MANV arma. Virosque corripere,
Idem Copidas vocant gladios leviter curvatos, falcibus similes, qui-
bus amputabant belluarum MANVS.

ARTICULUS II.
DE DEXTRA.

S. I.

Sufficient hæc de MANV: Succedit alterum vocabulum
DEXTERA sc: vel DEXTRA: Quod nomen absolute Etymolo-
positum, Manum potiorem signare solet, cæterum in se, va-
riis substantivis apponi potest, ut dicatur, dexterum latus die
rechte Seite & speciatim in acie *Cornu dexterum & sinistrum*
der rechte und linke Flügel. Unde vero vox ista descendat,
nondum plane inter eruditos constat, & incertum est an
detur primitivum aliquod aut simplex vocabulum, Dex,
Dextimum quidem & sinistimum antiqui dicebant, veluti
Varro περὶ λέξεων: Primo compito dextiram viam munit Epici-
curus, & Sallustius in Iugurtha sylla cum equitatu apud Dexti-
mos in sinistra parte, A. Manlius cum funditoribus & sagita iriis.
Utrum autem DEX unquam in Latio tali significatu exsti-
terit? definire nolumus.

S. II.

Quamdiu equidem Manus Romana gentes alias ar-
ma docebat, lingua eorum simul prævalebat at; ex quo
languescere incipiebat illa, hæc quoque defecit, atque va-
ria vocabula didicit senex, juveni ignorata, quæ inter &
DEX compareret, ea tamen acceptione, ut distinctum atque
confinium significet: quo sensu hæc vox in consuetudinibus
Tolosæ non semel occurrit v. g. quando *parte I.* dicitur infra
DEX seu terminos Tolosæ: & in veteri charta apud Catellum
de Comitibus Tolos. pag. 382. Ita quoque hæc vox scribitur in
consuetudine solensi tit. 19. art. 7. Nec non DECTS in consuetud.
Bayonensi tit. IV. art. 17. item: DEC. Goudelino vel DECXS
in charta vernacula Gastonis vice-Comitis Benebarnensi, apud Mar-

cum Lib. V. c. i. num. 4. Ita etiam DETX pro d. strictu urbis vel oppidi, qui eadem qua urbes & oppida immunitate fruitur, passim usurpant Occitani, So weit der Stadt Weichbild geht/ Binnen baums Eori Beneharnensis seu Morlanensis, art. IXX. verb. Et non debet exire bellum extra DEX ville.

§. III.

Accepta hæc ferimus Carolo du Fresne in Glossario media atque infimæ Latinitatis Tom. II. col. 76. pr. Quem tamen putes ipsam hanc vocem a Dextera derivare velle, per quandam contractionem: nobis vero fontem ac originem vocis DEXTER inquirere, & non ipsius derivata contrebere animus est. Cœterum Catellus Historia Tolosana pag. 194. DEX sive terminos Tolosæ seu Urbium a CRUCIBVS quæ limitum vice funguntur, appellatos fuisse putat, eo quod Crux figuram decimi numeri X. representet, qui Dex Occitanis dicitur: Quod si ita est, multo probabilius videatur non a Dexteris sed a decussi qui & Decau dicitur Gromaticis, etymon vocis arcessere, Lapidibus quippe aut arboreis decussatim positus termini ac limites quondam de-notabantur.

§. IV.

Sed quid Dexteræ cum Decimo? an vero sic non allusio magis, quam derivatio ostenditur? Ehim vero sic dexterorum ad verum Latium revertimur, cui Decussis genuinum nomen est, decem asse significans. Vitruvius pro numero denario, quem denaria vocant Græci, non semel usurpavit. Ita enīa scribit Lib. I. Cap. III. Platoni placue denarium numerum eare esse perfectum, quod ex singularibus rebus, que provadet apud Gracos dicuntur, perficitur decussis; que, simul ac undecim aut duodecim sunt factæ, quot superaverint, non possint esse perfectæ, donec ad alterum decussim pervenerint; Quam decussis perfectionem & Germanas innuit, quando unitates quo denarium numerum superant, supplemento solidum imputat. Eiffen/ quasi unitatis auxilium & superponendum zwölff/ quasi bini auxiliares,

§. V.

S. V.

Decussare igitur est ad Decussis figuram redigere,
h. e: Res aliquas eo ordine collocare ut literæ
Græcæ x. aut Latinæ x. speciem referant, ea enim figura
apud Latinos vocatur *decussis*, quia veteres, atque ac nos
hodie, hac figura numerum denarium significabant. Quod
si jam subsistas in numero, utique parum dextre cum de-
cimo cognitionis habebit, ac mera erit allusio. Enimve-
ro ad figuram eundem, quia distinctione hæc non recta fit
linea, deorsum a capite ad calcem seu pedes, sed trans-
versa, durch eine quehr Linie oder Kreuz / Strich / decussatum
h. e ea ratione atque figura, qua decimum numerum si-
gnamus, lineam sc. rectam secando, ducta a sinistra ad
dextram in transversum alia linea: Sic apposite satis dex-
trum vocamus passive, omne decussatum & longitudini
junctam latitudinem, ut duo exsurgent latera, dextrum
& sinistrum.

S. VI,

Ita dexterum & sinistrum in acie cornu, dicit Livius
Lib. III Historiar. Cap. LXX. & Cicero de Universitate: Hanc
igitur conjunctionem duplicom in longitudinem diffidit mediaque
accommodans, medium quasi decussavit. Germanus agros in
longitudinem diffisos, gespalten sed decussatim, gestumpfis
vocat. Hinc Columella Lib. IV. duas regulas ejus latitudinis
quo passinator sulcum fatturus est, inspeciem Graeca Litera X de-
cussabimus ait apud Cæl. Rhodig. Lib. IV. Cap 3. Col. 414. G.
Atque adeo si ulla hic intervenit Allusio, ea non tam est
DEXTRÆ ad numerum denarium, quam potius Denarii
ad **Dexteras**, quarum junctione numerum eum figuramus,
Quin & ab eo Dexterarum religio & sanctitas dependet.
Ex Denarii quippe numeri religione, quæ illi inesse cre-
debatur, veterum mos fluxit, ut fidei conciliandæ gratia
dexteras invicem jungerent, cum sic denarius numerus
repræsen'taretur. Cæl. Rhodigin. *antiq. Lecl. Lib. XXII. cap.*
XIV. col. 1244. E.

§. VII.

S. VII.

Sed hæc ad usum *SYMBOLICVM* pertinent. Nos per-
scrutata vocis origine varias ejus dabimus significations
ex ipsa rei natura & qualitatibus desumptas : spectamus
quippe in illa tum motum, tum habitudinem, tum perfe-
ctionem quoque, ac denique eventum atque augurium.
Motus cuiuslibet principium a Dextera est, hinc omne
animal dextrum prius profert pedem ad ambulandum,
sinistrum vero latus non refertur ad motum, nisi per ac-
cidens : Trahitur enim pes sinistralis ad corpus sustinen-
dum Cæl. Rhodigin. *antiq. Lect. Lib. I. Cap. XI. col. 28. F.* Ita
videmus saltatores sinistro stare pede, dum dextero inte-
rim argutantur. Ac credo ab illo in dextra primo motu
Dexteros nat ēζοχω vocari passus atque spacia circum Ec-
clesias, securitatem & jus asyli continentia, de quibus
Carol du Fresne in *glossar. verb. Dextra*, col. 74.

S. VIII.

Ad principium illud & originem motus, qui sit a Dex-
tera tanquam termino a quo, pertinet quod dextrorum
dicimus *Vann* syc/ ac introrsum s. sinistrorum *Nah* syc.
Dextera porro foras prodimus, unde, si jocum seriis im-
miscere licet, fundamentum habet istud chartæ luden-
tium axioma :

A Dextris heb ab/ a sinistra porrige chartas.

Ex hac initii prærogativa jam procedit quod motus dextræ
frequentior sit, quam sinistræ : Motus namque est indi-
cium vite & præsentiz animæ, posita autem forma, non
cessat ejus operatio, quamdiu illa non impeditur, juxta
doctrinam physicorum. Ex frequentia motus porro fluit
AGILITAS, quam toties movendo acquirimus. Inde
est quod Dexter accipiatur pro apto, convenienti, agili,
gange / läufig/ prompt, itemque pro expedit, exspectato &
quod est ex debito, gehüthlich/ Hinc Virgil. lib. IV. *Eneid.*
vers. 294. *Quis rerum Dexter modus?* Statius lib. III. *Sylvar.*

Signa frenata moderatur ale

Gastore Dextro.

S. IX.

§ IX.

Cumq; felicem eventum intendat quisque agens, eumq;
habeat in votis, atque ubi scopus bene successerit, latetur,
seque felicem putet, hinc evenit, ut dexter idem denotat,
quod Prosper; quo sensu Ovidius Lib. I. Fastor. vers. 67. ait:
Dexter ades ducibus: & Apulejus Lib. III. Metam. Iter quoque
dexterum vocat. Cumque hoc Deo acceptum ferre deceat,
ideo dexter ille dicitur, tanquam propitius: sic Dexter Hera-
cules Persio

Oſi

*Sub raffro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule*

Item dexter Apollo apud Statium. V. Sylvar. I. vers. 13. &
Dextri Dii, ibid. vers. 71.

*Dexteros tua vota marito
promeruere Deos;*

NUMINA DEXTERA vocabantur, quæ favere credeban-
tur, Læva e contrario quæ nocebant, & ob id placanda
erant. Barthius ad Lib. III. Thebaid. Statii pag. 807. Lævus
gradus, malum portendebat. Dexter vero pes & Dextra pro-
gressio, lati erat ominis. Id Ibid. pag. 751. Virgil. IIL Aeneid.
Etnos & tua Dexter adi pede sacra secundo.

§. X.

Et quoniam ex agilitate robur exurgit, hinc Dexte-
ra pro labore, potestate & auxilio sepius ponitur, cum ea
sit validior sinistra; Inde DARE DEXTERAM, non ma-
num modo porrigeret, verum auxilium etiam præstare
denotat. Hand bieben / Hand reichen / hülfliche Hand leisten,
Da Dextram misero inquit Virgil. Aeneid. Ab illa præua-
lentia DEXTRALE dicitur id, quod dexteræ implenda &
exercenda est sufficiens, quo sensu Secures Dextrales Carolo
du Fresne in Glossar. d. L. col. 75. sunt, quasi majores, wichs
tige / hampfliche / quasi Hand, völlige / quod impleant ma-
num dextram, & equi Dextrales, item dextrarii, majores,
robusti, artiglerie-Pferde.

B

§. XL

§. XI.

Eodem forsan sensu missio Dextra pro sponsione auxili, protectione, consensu & approbatione accipitur. Ita namque Reges Perfici manum mittebant, h e. suo nomine dari quid jubebant, & imperatores ac Reges Romanorum olim hiriotecas suas ad stabiliendam pacem vel perficiendas actiones, quibus interessè non poterant, mittere solebant: veluti legitur in Spec. jur. Saxon. Lib. 3. art. 66. ubi Gloss n. 1. hæc narrat: daß solches des Reichs Wille sey / soll der Kœniger sein Recht handzeichen / dessen zu Uhrkund an der Stadt darsenden. Vid. Camer. hor. subseci. Cent. I. Cap. XXXV. pag. 164. Erant etiam inter signa militaria Dextræ, hospitii nec non concordia insignia, de quibus Tacit. Lib. 1. Histor. cap. LIV. & Lib. II. Histor. cap. IIX. Denique Dextera Dei in Sacris felicitatis & dignitatis locum designat, uti e contrario sinistra infelicitatis & miseria habetur nota, Camera-rius cent. II. Cap. LXVI. fol. 197.

SECTIO II.

EXPONIT DEXTRÆ STATVM
ET AFFECTIONES.

§. I.

Sed ne significata vocis penitus indagando ante tempus ad ea delabar, de quibus infra dicendum est, mitto reliqua, & ipsi rei ordine per tractandæ me accingo. Exponenda autem sunt ejus interiora & exteriora; Status, inquam & attributa, illum quidem in mechanicis invenimus, ut ex supra dictis colligere est. Est enim Dexterum, vox geometrica, præsupponens planitatem expansam in latera distinetam, ita quidem ut Longitudo transversim in Latitudinem scindatur, & efficiantur duo loca collateralia, quorum alterum dexterum, alterum sinistrum dicimus, situacionis

tionis ac habitudinis, consequenter & usus distincti gratia.

§. II.

Est igitur Dexterum latitudinis quzdam portio, spe-
ctata in corpore expanso & angulari; Globosum enim &
orbiculare, latera & angulos ignorat: Ideo dexteram in
celo per analogiam dicimus illud, unde motus ejus pro-
cedit, quia in omni animato motus sit a Dextra, per supe-
rius dicta. Cäl. Rodigin. Lib. I. Cap. XII. Col. 29. Ratio hu-
jus in calore posita est, cuius copia per se refertur ad dex-
teram. Discedemus igitur a rotundis ad quadrata, & oc-
cupabimur circa Ambilateralia, ac speciatim quidem circa
dextram, cuius jam notabimus affectiones, cuius praci-
pua est (1) VNITAS: alterum enim latus *dextera* opposi-
tum *Sinistrum* dicitur. Dari quidem Ambidextros, linckë und
rechtes/ experientia demonstrat, cuius rei causam nonnulli
dispositioni partium inferiorum, cordis nimirum hepatis
ac splenis, eorundemque influxui tribuunt, certior forte
ab usu ac perpetua consuetudine desumitur. Ast vero in
his unica tantum appetet dextra, licet sinistra simul officio
dextræ defungi queat: De cætero illud silentio præterea-
endum non est, & admiratione dignum. Viros utraque ma-
nu agiles & ambidextros sâpe esse visos, Mulierem vero
ambidextram non effici: autor est gravissimus Hippocra-
tes apud Cäl. Rhodigin. Lib. IV. cap. III. col. 173.

§. III.

Post hanc notamus II.) ACTIONEM, dum non
quiescit dextra, sed agit, & prima quidem, ut supra fuit
ostensum, atque ita, ut dirigat etiam, sinistra contra ei
famuletur. Sinistra enim manus ad res agendas minus
habilis est, ad ferenda vero onera atque ad res fortiter
comprehendendas aptior dextræ, teste Camerario. Cent. I.
cap. XLVI. pag 197. Argumento, sunt omnes, qui sinistra
solent onera bajulare, quoniam dextra movere, sinistra
moveri apta est: Hinc onera non parti moyenti, sed mo-

12 *Sect. II Exponit dexteræ statum & affectiones.*
bili imponi debent. Cäl. Rhodig. Lib. I. Cap. XII. col. 30.
pr.

§. IV.

Actiones autem illas non ad actus nudos restrictas
solum volumus. sed ad qualibet opera alia extendimus.
Quicquid enim harum fit, illud a DEXTERA & expecta-
mus & expetimus, unde notabilis admodum est Dexteræ
in supplicationibus usus: Veteres enim in veneratione
supplici dexteram ori admoventes, indicem super polli-
cem residentem (quod & tempestate hac ferè a plerisque
fit) exosculabantur. Quod Plinius significasse videtur:
*In adorando, inquiens, Dexteram ad osculum referimur, totum-
que corpus circum agimus:* Et Apulejus in *Apologia*: *si fanum
aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratiā, si manum labiis
non admovebit,* Cäl. Rhodig. Lib. X. Cap. IX, circa fin., col.
55. G.

§. V.

Hinc porro ejus, cuius opem atque auxilium quis-
poscit, Dexteram, à qua id proficiuntur, venerari moris
erat, veluti Cicero pro Deiotaro: *per Dexteram, ait, istam te
oro, quam Regi Deiotaro hospites hospiti porrexisti.* & Terentius in
Andria: *Quod ego per hanc Dextram oro & genium tuum, per tua-
m fidem, Ad supplicantum nempe veterum ritum respi-
ciens, quibus moris erat, ut supplicants Caput, DEX-
TERAM, Genua ejus cui se jungent supplices, contin-
gerent, atque hac ratione consensum, actionem, & pro-
gressum ad ea quæ peterentur præstanta complecti vide-
bantur, prout copiosius exponit Cäl. Rhodigin. Lib. XV,
Cap. XIII, col. 80b. F.*

§. VI.

Quid vetat ergo, Dexteræ motum, elevationem at-
que porrectionem, in signum adsensus atque voluntatis,
quin certitudinis etiam assumere? Atque ita omnino est.
sic, ut in fidei quoque Symbolum abierit Dexteræ tam apud
Barbaros, quam gentes cultiores, dum fides in Dextris
fa-

sacra esse credebatur, de quo Livius Lib. I. Cap. XXI Ob hanc causam Alexand. ab Alexand. Genial. dier. Lib. II. Cap. XXIX. Religionem quandam in dexteris esse perhibet: Nam eam, inquit, porrigimus, si quid data fide futurum pollicemur. Constat quoque apud Persas usitatum fuisse, si quid firmum illibatumque esse volebant, ut illud dextrâ, tanquam fidei pignore sancirent: Itaque nihil apud eos FIDE antiquius fuit: testis est hac de re Gobrias apud Xenophonem, qui Dexteram Cyri laudat, dum nihil, ait, mentitus de iis, que pollicitus est. Et Lipsius in Taciti Lib. XV. annalium ex Gemistio Plethono Lib. II. de rebus Graecorum pag. 164. pr. persarum Regem Mentorum data DEXTRA conservasse scribit. Huc pertinet illud Virgil Lib. 4. Aeneid.

Dum decuit, cum scipira dabas, en Dextra fidesque.

S. VII.

Frustra tamen ac perperam præstationem harumque implementum præstolaremur, nisi fiduciam quoque facultatis atque illi) POTESTATIS in Dextra haberemus positam: in dextra namque magnam inesse autoritatem majestatemque ex eo notatur, quod tumultuantem multitudinem dextera compescere ac silentium indicere, nec non pacem manu exporrecta afferre soleamus. Camerar. Cent I. Cap. XXV, pag. m. 164. Quid. quod dextra inter agendum, non ut exteræ partes, loquentem adjuvent, sed ipse quodammodo loqui videantur. Hac enim, ut Fabius inquit, poscimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, minamur, supplicamus, abominamur, timemus, interrogamus, negamus, gaudium, tristitiam, dubitationem, confessionem, poenitentiam, modum, tempus ostendimus & in tanta linguarum dissonantia varietate que hic communis quidam gentium cunctarum sermo plane videri potest. Cæl. Rhodigin. Lib. IV, cap III. col. 172, E.

SECTIO III.

DE VSV DEXTRÆ IN SACRIS
ECCLESIASTICIS TRACTAT.

§. I.

Sed hæc præludii & viam securoris sternendi gratia: Jam, ea quæ diximus, ad VSVM IVRIS, tam publici, quam privati transferemus: Cum vero publicum jus in *Sacris*, *Sacerdotibus*, ac *magistratibus* consistere dicatur in L. i. §. 2. de *Just.* & *Jur.* separabimus a profanis divina, atque de rebus *sacris* seorsim agemus, nec non de ipsis *Sacerdotibus* sacra per agentibus. Et cum sacra quoque loca, quantis etiam cunque gaudeant immunitatibus, ab ambitione tamen non sint immunia, sed ibi etiam de præcedentia & digniore sappissime certetur loco, & vero certum sit, Dextrum latus esse dignius, hinc non immerito queritur: quodnam latus dextrum in Ecclesia dicendum sit? & num illud considerandum sit abstractivè, an relative ad alia loca?

§. II.

Quoniam autem templa ut plurimum ita solent exstrui, ut faciem versus Orientem habeant positam, longitudine versus occasum protensa, latera vero, quamquam spatio angustiori ad meridiem & septentrionem porrigant, altaria ad caput, suggestus in pectore collocentur, atque sic Orator faciem versus Septentrionem onversam habeat, duplice suo commode, nimirum primo, ut lumen per fenestras ingressum in folia libri explanata incidens lectionem reddat faciliorem, deinde ne acies obtundatur oculorum, quod fieret, si suggestus ex opposito lumen constitutus esset; Et cum de hinc duæ sint Sacerdotis functiones, una pro altari expedienda, quæ sit preces fundendo, & benedicendo populo, altera pro suggestu, quæ peragi-

peragitur perorando. hinc sequitur quod is, qui sacerdoti a dextris stat, aut à facie, dignorem in Ecclesia videatur occupasse locum: Legi hac de re potest Limneus ad Jus Publ. in add. ad Lib. IV. Cap. IX. num 92 ubi adducit verba Mat. h. Marechall. en son livre des droits honorifiques des seigneurs, es Eglises pag. 99 seq. quæ ita se habent; Le coté droit en l' Eglise est reputé celui, qui est à la main droite en y entrant, non obstant, qu' aucun ayant estimé, que le plus honorable, pour les laquais soit le côté gauche en entrant, se fondans sur ce que le costé du coeur est la plus noble partie du corps humain, & qu' on dit l' Evangile au costé gauche sur l' autel, & que le prestre se tournant de l' autel en celebrant la messe, lors qu'il prononce paroles addressantes au peuple, ceux sont a sa main droite, qui en entrant au choeur sont à la gauche, &c. &c.

§. III.

Ad actus sacros à sacerdotibus expediendos quod attingit, sunt isti, vel generales & communes, ut Benedictio: vel speciales, ut collatio sacramentorum & sacrorum Ordinum, nec non inaugurationes Principum: in horum singulis dextra suum peragit opus & adhibetur tanquam instrumentum, sine quo haud expediti illius actus potest. Sunt tamen ubique peculiaria illius munia. In manuum certè symbolo, magnam vim habet Dextra ad denotanda divina mysteria. Illi enim, qui benedictionem conferunt, impositione manuum auxilium & favorem Dei significare volunt, ideoque eum, cui manus imponitur, admonere volunt, quod is sit sub favore & protectione DEI & ab ipso DEO ipsis benedicatur: Philipp. Camer. Cent. II. Cap. XLVI. fol. 196. med. Speidelius Specul. Jurid. voce Manus impos.

§. IV.

Ratio hujus haud longe querenda, si repetitò intueamur symbolicam dexteræ manus significationem, qua virtutem denotat, cum ex primo eoque frequentiori motu eidem agilitas, dexteritas, robur, voto respondens evenitus, & felicitas tribuatur. Quæ singula quemadmodum fin-

singularia Dei dona reputamus, ita ex pietate eadem vicissim communicamus proximo. In primis sacerdos officii ratione per impositionem manus dexteræ, actu quasi & re ipsa, omnia ista conferre creditur expertibus, ad pre cando, communicando atque impertiendo divinum favorem, assistentiam, gratiam ac protectionem, tanquam Deus ipse præsto esset, atque nomine suo promissis adderet implementum.

§. V.

BENEDICTIO quidem de qua modò dictum, actus est generalis, laicis cum clericis communis, hanc enim a parentibus quoque exspectant liberi morigeri: At sacramentorum administratio, clericis propria est expeditio, in que ea Dexteræ palmarium spectatur officium. Est autem sacramentum. Actio sacra solennis divinitus instituta, qua per externum aliquod materiale & visibile signum cum coelesti re unitum, & juxta institutionem divinam trahatum, promissio gratiæ de remissione peccatorum, quæ isto signo vestita quasi est, offertur, & singulis, qui fide sacramentis utuntur, exhibetur applicatur, & ob signatur, vid. Ziegl. ad Lancell. Inst. jar. can. Lib. II. th. 2. §. 2. Ipsum igitur sacramentum autorem habet Deum. Ritualia vero pertinent ad potestatem ecclesiasticam, quæ penes Principem est: adeoque limites dicendorum haud supergressum me argues, Lector honoratissime, si de numero & ritu quædam afferam.

§. VI.

Ritus nimirum ad affectiones & formam externam pertinent, atque in his manus dextera satis est negotiosa. Et primo quidem in sacro BAPTIS MATE dupliciter adhibetur, partim juncta sinistra, quando Sacerdos super baptizandum precaturus jubetur manus (plurali numero) imponere infantis capiti: Hie lege der Priester seine Hände auf des Kindes Haupt und bete das Vater Unser / sammt den Pas sen knieend / uti verba habent in Agendis seu Kirchen Ordnung.

A 10

Augusti Elector. Saxon. sub rubr. von der Tauffe quæ exstat in Corpor. Jur. Saxon. Tom. II fol. 10. Partim vero seorsim ac solitarie, quando ecclesiæ Minister baptizandum signo crucis signare jubetur, quod dextera fieri oportere, contendunt allegati a Grettero. tr. de Cruce. Tom. I Lib. IV. cap. 2.

§. VII.

Sic enim Justinus, quæst. CIIX. *Dexteræ potius, inquit quam sinistra signum crucis exprimimus, cum alicui benedicimus, & exemplis comprobatum dicunt, quod Diabolus in benedictione sagarum noviter ad ipsum conversarum, illas etiam signaverit cruce, sed manu sinistra, de Le main gauche, ut ex actis annotat Martinus Delrio disquisit. Magic. ad Lib. V. append. Hildebrand. Ritual. orantium cap. IX. §. 17. quos laudat Illuстр. Dom. Praes, tract. de venerabil. signo Crucis. Schedio I. n. 25. Distinctius etiam id probatur ex Ordin. Eccles. Sereniss. Ducum Saxo-Vinariens. Part. I. cap. XIII. pag. 145. Ubi baptizandum in manu reponi sinistra, eidemque aquam terna vice in tergo ac vertice inspergi, ac signum crucis notari volunt, id quod alia quam dextra fieri nequit, verbis: Darauff nehme der Tauffer das Kindlein in die lincke Hand und besprenge es über den Rücken/ oder auff den Haupt drey mahl und spreche N. Ich tauffe dich im Nahmen Gottes des Vaters/ des Sohnes/ und des Heil. Geistes Amen. Loc. cit. Sched. IV. §. 14.*

§. VIII.

In administratione porro SACRÆ COENÆ Sacerdotes nostros in recitatione verborum institutionis, cum ad ea venerint, daß ist mein Leib/ elevant dexteram supra patinam hostias continentem: cumque deventum fuerit ad illa verba: daß ist der Kelch/ eandem manum supra calicem aliquantis per extensam tenent, nullo quidem neque præcepto divino suffulti, neque intentione ulla elementis novam speciem conferendi seu inferendi, quam ecclesia papalis, Transubstantiationem dicit, sed attentionis solum excitandæ & sacræ meditationis adjuvandæ gratia, quem-

C ad-

admodum officium atque effectum manuum supra diximus esse tacitam loquela, eamque sermocinantibus opido auxiliari.

§. IX.

Priusquam autem ad sanctum hoc Sacramentum percipiendum admittamus, *DEO*, per peccatorum confessio-
nem & annunciatam eorundem remissionem conciliari
opus est. Licit vero actus hic pro sacramento in sensu
proprio haberi nequeat, sacerdotem tamen, dum eundem
peragit, capiti confitentis imponere dextram novimus, ut
hunc in sua fide confirmet, & benedictionem aeternam quasi
annunciet: Latius hac de re agunt Theologi nostrates, e
quibus laudamus Casp. Brochmand. *Systemat. Theolog. Tom.*
II. Loc. XXIII. Cap. II. qv. VI. fol. 123.

§. X.

Numerum Sacramentorum quod concernit, ecclesia
nostra non nisi duo agnoscit, freta auctoritate Salvatoris
nostris & S. Scripturæ, præter Baptismum & Eucharistiam
piura haud commemorantis, quamquam Romanenses se-
ptem fuerint commenti, juxta versum:

Abluo. Firmo. Cibo. Piger. Iuxor. Ordinat. Ungit.

Hæc sunt ecclesiæ septem sacramenta vocata.

cum hoc tamen discrimine, quod quædam eorum charac-
terem impriment indelebilem, ob quam etiam causam ir-
reterribilia habeantur, tria videlicet illa, Baptismus, Con-
firmatio, & Ordo; quædam vero talem non conferant char-
acterem indelebilem, & propterea reiterari queant, quo
de quid sentiant Theologi nostrates, apud præallegatum
Dn. Brochmandum loco de Baptismo cap. VI. Qu. III. fol. 428.
legere licet. Addatur Excell. Dominus Adrian. Beierus
in *Magistro opific. cap XI. § 3. & 4.* nec non Ziegli. *ad Lancell. Lib.*
II. Tit. 2. §. 4. Not. pag. 304.

§. XI.

Ne vero nimis divagemur, de ORDINE, tanquam
magis ad rem præsentem pertinente, videbimus. Respicit
hæc

Hæc vox primario pluralitatem quandam rerum, & referatur ad aliud, unius enim Ordo esse nequit. Deinde seriem denotat atque gradum: tum quoque virtus genus, in quo quis est constitutus, & denique functionem seu officium, quod quis administrat. Hoc in loco per ordinem nos intelligimus MINISTERIVM ECCLESIASTICVM, seu munus illud ab ipso Deo institutum, in ecclesia huc usque conservatum, ac legitima in locum decedentium surrogatione, quæ Vocatione atque Ordinatione peragitur, continuatum. Ordinatio autem ipsa nihil aliud est, quam ceremonia seu ritus ecclesiasticus, qui precatione atque MANVS IMPOSITIONE expeditur.

S. XII.

Ita enim ex Actis Apostolorum cap. VI. vers. 6. discimus, septem illis diaconis, tunc temporis a cœtu fidelium electis, impositas fuisse ab Apostolis manus. Paulus quoque licet a Deo immediate vocatus esset ad manus apostolicum, manuum impositione sacro isti muneri inaugrabatur ab Anania. Ad. IX. vers. 17. Eundem porro modum ac ritum discipulo ac successori suo Timotheo commendat Apostolus, I. Tim. IV. vers. 14. jubens, ne negligat, sed ut exsusciteret donum, quod in ipso erat, per prophetiam & cum Manum impositione: quod & repetitio inculcat 2. Tim. I. v. 6. Atque hinc ritus iste non immerito continuatus fuit ad moderna usque tempora, & in nostra quoque ecclesia post purgationem retentus, non tanquam pars quædam ordinationis necessaria, sed ex libertate christiana. Confer Ziegli, ad Lancel. Lib. I. Tit. XIV. vers. Congregatus igitur.

§. XIII.

Allegare libet eam in rem potentissimi Electoris Sachseni Constitutionem von Berufung und Annahmung des Kirchen-Diener/ sub rubrica: Gemeine Form und Weise/auf welche ein neuer Kirchen-Diener ordiniret/ und durch den Superintendenten/ seiner ihm anvertrauten Kirche commendiret

und investiret werden soll. in Nov. Corpor. Jur. Saxon. Vol. II. Tit von Kirchen- und Consistorial-Sachen fol. 60, ubi exsertim ad libertatem christianam provocatur: verb. und wie nach Christi Freyheit gebräuchlich seine Rechte Hand dem neuen Pfarrer oder Diacono auf sein bloß Haupt zu legen.

§. XIV.

Neque tamen manuum hæc impositio elementum externum, adeoque alteram sacramentorum partem constituit, nec ea propter Ordinatio inter sacramenta erit referenda, prout contendunt Pontificiū: Tum quod gratia justificans ea neutiquam conferatur, quæ tamen potissima virtus est sacramenti. Matth. VII. v. 22. Joh. VI. v. 70. Tum quod manuum impositio non sit de essentia Ordinationis, nec in Ministrorum sacerorum ordinatione semper fuerit adhibita: Apostoli namque muneri Apostolico a Christo per manuum impositionem haud quaquam sunt inaugaurati, ut videre est Matth. X. v. 1, Marc. III. v. 17. seqq. Luc. IX. v. 1. seqq.

§. XV.

Christus sane post resurrectionem suam non impositione manuum sed insufflatione adhibita commendavit apostolis universam evangelii prædicationem Joh. XX. v. 22. Quin & Matthias in locum proditoris Judæ surrogatus sine manuum impositione muneri apostolico admotus fuit; Paulus etiam & Barrabas constituerunt Presbiteros, non per χειροτονίαν, sed per χειροτονίαν, Act. XIV. v. 22. χειροτονία namque est suffragorum rogatio & latio II. Cor. IX. v. 10. 19. & χειροτονία, est eligere, constituere suffragiis, creare, consentire, pedibus in alicujus sententiam ire, porrigere manum, unde χειροτονία idem quod plebiscitum, suffragium, a manuum porrectione dictum.

§. XVI.

Recepta igitur est impositio manuum in sacerdotum ordinatione ex mera, ut dictum, libertate, atque in Sennissimorum quoque Saxonia Ducum ecclesiis observari jus-

jussa, ceu patet ex Constit. Eccles. Coburg de A. C. MDCXXVI.
Lib. II. cap. III. fol. 146. nec non Vinariensi Constit. Eccles. d. An.
MDC LXIV. in qua Lib. II. cap. III. von der Ordination pag. 298.
hęc verborum präscribitur formula. Und thun Euch hier-
mit zu solchen euren Ambte/ nach uhralten Christl. Apostolis-
chen Brauche der Kirchen / durch Auflegung der Hand und
ernstes Gebeth ordinire/ & postea

Hier lege der Superintendens dem Ordinato die Hände auf im
Nahmen/ GÖtes des Vaters/ und des Sohns/ und
des Heil. Geistes.

Ad Diaconos: Imponite manus!

Zimmitelst ist es ganz still/ biß die Diaconi ordentlich nacheins
ander die Hände ausgeleget haben. Monitum tamen Apo-
stoli: I. Tim. V. v. 22. quando scribit: *Manus ne cito cui impo-*
nito, ne communices alienis peccatis: ita circa ordinationem at-
tenditur, ut examen & probatio illam antecedant.

§. XVII.

Matrimonium equidem cum Pontificiis non facimus
sacramentum, per ea quę habet Brochmand. Cap. VI. dub.
VI. Ziegl. ad Lancellott. Lib. II. Tit. II §. 2. Not. pag. m. 301.
Carpz. Iprud. Consist. Lib. II. def. 4. Non tamen inconve-
niens erit, huic sectioni istud inserere, postquam benedi-
ctione sacerdotali perficitur, arque in nostris etiam eccle-
siis causis accenseretur ecclesiasticis, vel saltem ad mixtas
refertur. Theodor. Reinking. de Reginis Secul. & Ecclesiast.
Lib. III Clasf. I. num. 23. Carpz. d. Lib. II def. CCXXXIII. num. 4.
Sunt autem & in illo sua manibus jura, dextraque präci-
puus usus: Sponsalia quippe dexterarum junctione ce-
lebrantur, quod & in veteri ecclesia jam fuit usitatum.
Testis est Tertullianus Lib. de Veland. Virgin. cap. XI pag. 197.
& eleganter id confirmat Georgius Ambionates in obseruat.
ad Tertull. locum.

§. XVIII.

Sicut enim veteres, rerum possessiones injecta manu
sumebant, unde & Mancipia dicta, quod manu caperentur;

tur; sic mutua corporum traditio manuum innexione transfigebatur. Hinc Dido sponsalia sua referens apud Virgil. IV. Aeneid.

*Nec te noster Amor, nec te data dextera quondam
Nec moritura tenet crudeli funere Dido.*

Simili modo Tertullianus de Rebecca mox nuptura: Non sustinuit dextrae colluctationem. Adde Baronium T. I. Annal. ad A. DCLVI. num. 47. Pertinet huc etiam Gregorii Nazianzeni sub Valente & Theodosio Imperatoribus celebris Ecclesiæ Patris locus Epist. LVII. cum enim ab Anystio ad Nuptias filia ejus invitatus esset, ob adversam autem valetudinem se excusasset, hæc addit: *Nam & ego & animo, & voluntate adsum, simulque gestum celebro, juveniles Dextras inter se jungo atque utrasque do manus.*

S. XIX.

Hujus quoque dextrae usus in Matrimonialibus in numismatibus antiquis depingitur, ex quibus inter alia celeberrimus Adolphus Occo in cruditissimo opere Numismatum Imp. Roman. pag. 167. nummum aureum Hadriani Imperatoris exhibet, cuius altera pars figuram repræsentat Imperatoris dexteram jungentis Augustæ, intermedia ara cum sacrificio, hac addita inscriptione CONIVGIVM AVG. Refert quoque clarissimus Pignorius Symbol. Epistol. 9. vidisse se in veteri monumento virum & uxorem Furfanium Nigrum & Furfaniam Floram, auspice Hymæneo dextras jungentes: & Virgil. VIII. Aeneid. v. 136. ita canit

*dum mihi mens juvenilis ardebat amore
Compellare virum & dextræ conjungere dextram.*

S. XX.

Neque tamen de matrimonii Substantia hæc est dextrarum commixtio, ita ut si forsitan illa non accederit, sponsalia non videantur valida. Fides nimurum & consensus est, quæ justas faciunt nuptias, quando aliquis non strinquit manum, corde tamen & ore consentit ducere, & mutuo se concedunt unus alii, & mutuo se suscipiunt, prout

10-

Loquitur Augustinus cap. 1. X. de Spons. duor. Add. Glosa, & Gonzalez. add. Cap. 1.

§. XXI.

Istud tamen ad naturam secundum ritus receptos refertur, quod in ecclesia copulandorum dextras jungat sacerdos, id enim beatus Lutherus præscribit: Hier lasse er die Trauringe ein ander geben / und stige ihre beyde rechte Hände zusammen/ und spreche ; Was Gott zusammenfüget soll kein Mensch scheiden: Corp. Jur. Saxon. Vol. II. fol. m. 16. med. Desponsatio quoque regulariter fit ad manum dextram. Unde evenit, ut matrimonium ad sinistram manum contractum non habeat effectum matrimonii, qualis despensatio usu venire solet, in matrimonii personarum Illustrum cum in qualibus contractis, ut nimirum sponsus sponsa ignobiliori sinistram loco dexteram porrigit.

§. XXII.

Vocatur tale matrimonium a feudistis *Matrimonium ad Morganaticam Vermählung zur linken Hand*, vel etiam *lege Salica contractum*, & moribus nostris data coram ministro ecclesiae SINISTRA manu, tanquam Symbolo effectus peculiaris, perficitur. Estque illud nihil aliud quam matrimonium inter nobiles & magnates cum plebeja seu vilioris conditionis muliere, ea lege contractum, ut liberi secundi matrimonii, cum liberis prioris matrimonii patri non succedant, sed una cum matre donatione morganatica sint contenti. *Struvius Syntagm. Feud. cap. 9. aphor. 5. Kitzel Synops. matr. cap. 9. pr. Plura de hoc matrimonio, vid. apud Gerhard. Loc. de Conjug. cap. 10.*

sect. 1. num. 555. Mylerum ab Ehrenbach. Gamolog.

Princip. Cap. 6. Linckium in disput. de Lege Salica

Altorsfi habita & feudistas ad. text.

2 feud. 29.

SECTIO

SECTIO IV.

DE JVRE MANVS DEXTRÆ IN CAV-
SIS SECVLARIBVS IISQUE
PVBLICIS.

§. I.

Pertinebant hæc ac caussas ecclesiasticas: Conversimus nos jam ad Seculares, & à Sacerdotibus ad MAGISTRATVS: ubi pariter DEXTERÆ observamus jura tam *activa* quam *passiva*: Officium quoque quod præstat illa, nec non prærogativam, quæ illi debetur. Inter Magistratus supremum locum occupat Princeps, cui quandoque fastigium hoc conatum est, aliquando per electionem confertur, atque tunc, quoniam status ejus privatus in publicum commutatur, certæ ceremoniæ adhiberi solent, quæ pro cujusvis Gentis aut universitatis moribus, vel Legibus, variant; Vocamus istum actum uno verbo INAVGVRATIONEM, cuius partem non minimam Dexteræ perficit sacerdotalis, idque juxta antiquum etiam morem. Inaugurandis namque Regibus dexteram imponi ab Auguribus fuisse solitum, Livius commémorat Lib. 1. Cap. XIX.

§. II.

Idem hodienum servatur in Sacro Romano Imperio, cuius recentissimum exemplum præbet JOSEPHVS REX ROMANORVM electus atque undatus, apud Mattheum in Theatro Historico contin. Monarch. 4. pag. 51. his verbis: Nach den Worten des Apostels: Jedermann sey unterthan der Obrigkeit ic. die Antwort wahr! Fiat! Fiat! Fiat! Worauf Thür. Maynz den Seegen über dem König sprach: Nach diesen wurde der König durch den Brandenburgischen Gesandten und Königlichen Cammer-Diener zu der Salbung entfleydet. Thürz

SECTIO

Chur-Mayn^z nahm das Heil. Oehl und salbete den König erstlich das Haubt / nachgehends zwischen den Schultern und endlich die Brust und den rechten Arm / worbei er diese Worte gebrauchet Ungo te in Regem , in nomine Patris , Filii & Spiritus Sancti : & paulo post Hierauf gab Chur-Mayn^z auch dem König den Scepter / in die rechte und den Reichs Apfel in die lincke Hand / mit diesen Worten / Accipe Virgam Virtutis &c. c.

§. III.

Enim vero nec otiosam ipsius imperatoris, repere manum, qua tuerit bonos, admonet titubantes, corrigit errantes: qua justitiam exercet, pacem tuerit, Imperium conservat: in cuius signum sceptrum gerit atque crucem. Nimirum uti ab Imperatoribus Occidentis, Aureum pomum cum cruce, ita ab Orientis, Imperatoribus Græcis, sola crux pro insigni dignitatis fuit assumta; quod testatur Joh. Europolates apud Limneum de Jure Publ. Lib. II. Cap. IV. num. 30 & Gretserus de Cruce Lib. II cap. LV. Verbis: Ex reliquis gestaminibus gestat Imperator quodcumque voluerit, Crucem autem semper DEXTERA gestat. Et DEXTERA quidem manu tenet Crucem, sicut solenne est, teneri ab Imperatore, quoties fert & Stemma. Hujus ritus originem à Constantino Magno petere licet, qui, conspecto in aëre crucis vietricis signo, debellatoque Maxentio, statuam in medio urbis Romæ erigi fecit, manu hoc salutare signum tenentem, de quo Camerar. hor. subcessiv. Cent. III. cap. LXXIV. Illustr. Dominus Præs. de Cruce, Sched. I. & VII. §. 3.

§. IV.

Gestatio porro hæc crucis in signum juris diœcesani assumpta, sic, ut non episcopi modo per singulas Episcopatus sui Diœceses antefieri illam sibi current, verum ipse Papa; Apostolicæ Potestatis insigne, crucem nimirum re-eto super impositam baculo, quem dextera tenet manu, constituerit, quo de pluribus prælaudatus Dnus. Præses. d. tr. Sched. IV. §. 2.

D

§. V.

§. V.

Nos ad jura dexteræ dicte pergitimus, quæ sunt primo AVTORITAS, inde Imperium & MAIESTAS, quam post Deum Principibus deberi constat. Dextera manus metaphorica translatione sepe eximiam notat potestatem, & quandoque regia Majestatis signum est, ut in L. 2. §. 1. ff. de O. Jur. ubi Ictus ait, *quod primum omnia manu a Regibus gubernata fuerint*: tanquam in defectu legum, facta Regum pro legibus valuerint: Non tamen irrationalia, sed quæ rationi conformia. Plane ut Justinianus in §. 6. Inst. de Just. & Jur. *quod principi placuit Legis habere vigorem*, scribit idem nec abfimili sensu: in L. fin. Cod. de Emancipat. Patriam quoque manum appellat. Sic & Lucanus de Cæsare Lib. 1.

*Compositum Vultum, DEXTRAQUE silentia jussit
Quo faciunt & versus Statii Lib. 1. Silvar.*

*Dextra vetat pugnam Lævam Tritonie virgo
non gravat*

In dextera igitur magnam Viro inesse autoritatem majestatemque, ex hoc notat Camerarius Hor. Subcess. Cent. 1. cap. XXXV. pag. 164. quoniam tumultuantem multitudinem dextera compescimus. PACEM quoque manu dextra exporre sta nos afferre significamus, vid. Alex. ab Alexand. Genial. dier. Lib. II. cap. XIX. cum notis Tiraquelli fol. m. 212. prout allegat Speidel Speculo Notab. fol. m. 563. sub. fin. Sic Marius, cum in Romanos maxima clade levaret, quos servare voluit, dextera porre sta, aut salute data; incolumes fecit. Plutarchus, *in vita ejus*.

§. VI.

Alterum est DIGNITAS ac prærogativa præ finistra: Dum eum, cui honorem volumus delatum, a dexteris collocamus, ubi duplex occurrit quæstio. (I.) Quid dicitur a Dexteris? Quid a sinistris: unde istud cognoscatur ac dijudicetur? Vtrum ex typo an antitypo? Si enim in aqua te, aut in speculo intuearis, dextrum latus tuum

COM-

conficies ibi in sinistra parte : Exemplum de Venetis adducit, Veronius in suo tract. de Imp. eligendo in verbis Ratione dignitatis apud Barth. Cassanum Catalog. glor. mundi Part. i. consider. XI. fol. 7. b. circa finem qui in Sigillis leonem ponant in parte dextra, & Ducem in parte sinistra ; habentes respectum ad contrarium : Inspicientibus enim nobis sigillum, leo stet a sinistra; Dux a Dextra : intueamur autem res non a tergo, sed a facie : Facies ergo nostra leonem oppositum inveniat ad sinistram nostram : sed erroneum hoc Cassanum videtur judicium. Quilibet abundet suo sensu !

§. VII.

Pariter circa Locationem a dextris, utrum Locus ille sit honoratior disquirendum. Diversos gentium invenimus mores, de Cyro Xenophon in sua paedie, Lib. IX. scribit, Singulare cum prudentia viros adhibitos convivas, quo honoratus exciperentur, in SINISTRA Losare solitum, eamque, velu cordi affinem, dignorem dixisse. Paulo obscurior est illa, de latere sinistro insidiis exposito, ratio apud Brisonium de Regno Persarum Lib. I. pag. 37. quem laudat Limneus Jur. Publ. Tom. I. Lib. IV. Cap. IX. num. 92. Nisi in eo ponit honorem, quod hospites fecerit Cyrus custodes debilitatis suæ. Qua tamen ratione hodie apud plerasque Orientis gentes, sive in incessu, sive in confessu honoratiorem illum locum existimari pergit : addas Jacob. Gothofred. Diatriba de Jure precedentia Part. II. num. 2. Lit. E. p. m. 156.

§. VIII.

Apud Turcas plane hodie dignior habetur locus sinistus, nisi quid aliud obstat : Cujus rationem duplēcē a scriptoribus afferri, observo : Theologicam unam; Politicam alteram. Ominostum est, quod Budrevz fol. 51. horologii tradit Dicere Mahometem, omnes Alcorano obtemperantes, Deo charissimos esse ; & in ultimo Dei iudicio a sinistris collocatum iri : eo quod apud Deum finistrum latus in honore sit majori, ut refert Speidelius, in

Speculo suo notabilium Lit. M. verbo Mahomet. §. memorabile etiam est fol. 825. Nos Christiani qui aliud ex Verbo Divino edocet, prærogativam hanc Turcis invidendi, causam habemus nullam, Apposita magis est illa, quam Augerius Busbequius in Itinerario Constantinopol. Epist. I. pag. 24. eos refert ponere in securitate gladii quem liberum habet is, qui nobis sit à Smifra; cum contra is nostrum in suo habeat arbitrio, quam tamen facetam dicit Joh. Limnaeus d. l. & ad securitatem illorum aptam, qui cum incognitis, aut parum fidis gradiuntur amicis: Ironice dicta; assumo ego, quia committimus nos illius fidei cui sinistrum damus locum: Aliter sentire Europæos scribit Tabor, Armamentar. cap. III. §. I. p. m. 181.

§. IX.

Quod vero Johannes Goropius Becanus in Hermathena, ceteris gentibus ROMANOS eatenus annumerat id Lipsius Lib. II. Eleitor. Cap. II. p. 3. dispungit. Jacobus autem Gothofredus Ditatarib; de Jure Precedentie Part. II. n. 3. p. 157. tribus exceptis casibus, concedit 1.) ubi nullum penitus ædificium utrinque esset proximum, 2.) ubi ad Dexteram aliquod proximum esset: 3.) ubi utrinque: Alioquin sinistra hic honos fuerit, si quid proximum esset: Ut ut sit, diversum nos & prærogativam dextræ deducemus:

I.) Ex sacris literis, ubi Dexteræ est locus dignitatis & honoris: Dixit Dominus Domino meo, sede à Dexteris meis. Psalm. CX. vers. 1 quod de Salvatore explicatur. Actor. II. vers. 33. & VII. vers. 55. Rom. IX. vers. 34. Ephes. I. vers. 20. Coloss. III. vers. 1. Petri III. vers. 22. Ebr. I. vers. 3. IX. vers. 1. X. vers. 12. XII. vers. 2. Idemque de se interpretatur ipse Matth. XXII. vers. 44. & Marc. XII. vers. 36. & Lucæ XX. vers. 42.

§. X.

In universum autem Dexteram Dei dignitatis felicitatisque locum in sacris denotare, observat Camerarius hor. subcess. Cent. I. Cap. XXXV. in fin. & Cent. II. Cap. XLVI. Quemadmodum Sinistra infelicitatis, miseria & æternæ damnationis

nisi nota est Matth. XXV. vers. 33. seq. sinistram attigisse omnino censebatur quondam Cœl. Rhodigin. Lib. XV. cap. XLIX. col. 806. G. Atque ideo filium primogenitum Regis, semper à dexteris Regis sedere debere, infert Tiraquell, de primogenitura Praefat. num 13. seqq. adde Cassianum. Catal. Glor. Mund. part. V. confid. XLI. fol. m. 426 juncta part. I. conf. XI. fol. 8. & quos uterque allegat plures.

§. XI

Accedit ergo (II.) Communis tam universarum gentium quam singulorum usus. Ita Glossa in Can. Quam periculum 8. VII. qv. 1. verbo Primatus, ubi de Esavo primogenituram vendente agitur: illo jam tempore jus sedendi ad dextram usitatum fuisse, statuere videtur, quando inquit. Jus ergo primogenitorum, ut dicunt, est dignitas talis, qua primogeniti præ aliis in festis sacrificia ferebant & quod se-debant ad DEXTERAM PATRIS & quod cibos duplicitos recipiebant. Innocentius Papa III. Sane ob id quod Imperator Constantinopolitanus Patriarcham illius fedis ad sinistram collocare solebat, non protestatur quidem, murmur tamen, in cap. Sollicitæ 6. de Majoritat. & obediens pro possess. tuenda. Idem locus Regiæ tribuitur uxori, juxta Psalm XLV. vers. 10. Adstitit Regina à Dextris tuis in vestitu deaurato, quam & Reginæ matri tribuebat Salomon 3. Reg. II. vers. 19. Nec non regiis agnatis, aut certe ministris primariis, quod filii suis uxor Zebedei apud Salvatorem expetebat Matth. XX. vers. 21. Marc. X. vers. 37.

§. XXI.

Accedit (III.) praxis atque quotidiana consuetudo, cum ipsorum Principum, tum eorum, qui ab iis legati veniunt, super dexteræ prærogativa certamina, non raro sanguinolenta; regulariter tamen bonorum consiliorum turbativa. Distributio illa dexteræ atque sinistra in nostro quoque Imperio Romano-Germanico servatur, ac nominatim per Auream Bullam ita inter Ecclesiasticos ac séculares Electores sessio ad latera Imperatoris divisa; ut uni-

D 3 ver-

30 Sect. IV. de Jure Manus Dextre in caus. Secular. usq; Publ.

versi quidem anteant status ac Principes ceteros Tit. VI.
Wie die Churfürsten gegen andern Fürsten verglichen werden.
Invicem autem Ecclesiastici sedent Imperatori propiores;
ad dextetam quidem ille, in cuius diœcesi seu provincia
Comitia vel actus alii celebrantur Arumæus ad A.B. discurs.
3. num. 2. ad sinistram alter, tertius ex opposito. Ex se-
cularibus autem Rex Bohemæ & Palatinus ad dexteram,
Saxo & Brandenburgicus ad Sinistram locantur Tit. IV.

§. XIII.

In Pompis autem solennibus cum officia Imperii he-
reditaria exercent, Elector Saxoniz Imperialem ensem
præferens, Imperatorem sine medio præcedit, a Dextris
Palatinus Globum, a Sinistra Brandenburgicus sceptrum
defert: Th. XXII. Neque de eo unquam disceptatum fuit,
nisi quod introducto per instrumentum Pacis Osnabr.
octavo Electore eidem quoque locus ad signandus esset:
Atque ejus rei causa, singulare conclusum est Imperii plati-
citum, quali ratione imposterum, quounque id fiat casu,
incedendum, cuius tenorem ex Floro Europæo refert,
Crusius de Præcedentia, Lib. IV. Cap. IIII. pag. 606. Ecclesiasti-
corum vero fastum atque hac de re altercationes frequen-
tiiores sepe uti diximus sanguinolentas notant Historici.
Ita Solennitatem illam connubialem quam Henricus VII.
Imperator in favorem filii sui Spiræ instituerat, conten-
tione, quæ longo inde tempore inter Moguntinum atque
Coloniensem Electores gliscebat, sedibus & quæcunque
necessaria erant jam paratis, inturbatam refert Cuspi-
dianus in Henrico VII. fol. 363. dum quilibet Dexteram Impe-
ratoris occupare contenderet de quo etiam agit Albertus
Argentinensis Tom II. script. Rer. German. histori, p. 116.

§. XIV.

Similis contentionis Exemplum, quod sub Alberto
Imperatore Norimbergæ contigit exstat apud Aventinum
Lib. VII. Annal. Bajorum fol. 588. de quo & videri potest Du-
bravius historia Bohemica Lib. XXI. pag. 212. Tertia conten-
tio

tio inter Elecṭorem Colonienſem fuit & quod mireris, Abbatem Fuldenſem, atque ea quidem acerrima de ſeffione ad Sinistram Imperatoris Henrici III, ubi poſt verba de- ventum eſt ad verbera, ita ut tota Eccleſia cruore reple- retur uti teſtatur Naclerus volum. II. gener. 36. fol. m. 764. Et Spangenbergh. in Chron. Mansfeld. cap. 223. quanquam Christophorus Andr. Crufius tr. de Preemin. Lib. IV. Cap. II. num. 18. pag. m. 584. cum Moguntino Fuldenſi controver- ſiam fuſſe velit. Aliam qua de hac ſeffione tempore Fri- derici Imper. orta fuit, contentionem deſcribit Crantzius Lib. VI. Saxonie cap. 46. Cum ſederet, inquit, Imperator cum viriſque ordinis Principibus a Dextris habens Moguntinum, a Si- nistris Colonenſem, Abbas Fuldenſis turbavit certam tam celebrem, locum ſibi depoſens a Sinistro Imperatoris laterē, quod Colonien- fuisſe tenebat, unde ingens ortus tumultus. De quo etiam agunt Crufius Lib. XI. p. II. Cap. XIV. Joh. Wolff. Leet. memorab. Cent. XV. fol. m. 973. Münster. Lib. III. Cosmograph. cap. LXXXIX. & Nicol. Serar, rer. Mogunt. Lib. V. in Archiep. XXII pag. 742. Aliam ab exteris gentibus petitatam Historiam præbet contentio qua inter Cantuariensem atque Ebora- censem Angliae Archiepiscopos, ob ſeffionem ad dextram Legati Pontificis orta fuit, refert ex Guilielmi Neubrigen- fisi Rerum Anglica Lib. V. Cap. X. Zieglerus de Episcopis eo- rumque Jure Lib. II. Cap. XI. §. 8. & ILLUSTR. Dominus Praes- tr. de venerab. sign. Cruc. Sched. IV. n. 4.

§. XV.

Hac de Dominis iſpis: nec mihi Legatis dum Prin- cipum ſuorum Personarum tuerintur de eorundem jure quid- piam remittere licet ita ut li quoque dexteræ prærogati- vam conſervare teneantur, idque obſervari videmus a duorum ſummorum Imperatorum Romani atque Turciſi Legatis, qui cum ſibi invicem obviā facti porrectis DEX- TRIS, ſe invicem in gyrum circum agunt, quo ſive ad dextram locum, qui apud nos honoratior, ſive ad ſinifram, qui apud Turcas in preio eſt, prævaleat, utroſque uitum- que

que feriat latus de quo vid. *Gastel. de statu. Publ. Europe cap. II, n. 10. pag. 37. Burgoldensis part. I. discurs. I. Lib. VIII. num. 7.*

S. XVI.

Atque ex tali altercatione & contradictione non raro impediuntur negotia quantumvis gravissima. Hujus Exemplum adlegat *Tabor in Armament. cap. III. in pr. p. m. 181.* dum hæc tradit den 17. Maji berichtet der von Paris nach Haag abgeordnete Ambassadeur M. de Bellieure er habe nicht zur Audienz gelangen oder das geringste negotiūren können/ allein darum/weilen bey denen Visiten so Ihm von denen Ständen geschehen sollen/ kein Theil den andern die rechte Hande zu haben gestatten wollen.

S. XVII.

Cum igitur ex adductis Dexteræ sua constet prærogativa præ sinistra, pro diversis tamen gentium institutis & locorum atque circumstantiarum diversitate alia quoque consideranda veniunt. Vnius quidem ac solius nulla est prærogativa. Duo autem ubi convenerint, distinguendum esse videtur inter confessum atque incessum: in confessu qui a Dextra sedet, dignorem dicitur habere locum, per ea qua superius adducta fuere: neque obstat locus, quem ex Cyri historia supra recensuimus, cum ad speciam iste casum potius sit referendus. Et licet quidem sessio a sinistra pontificis inter honores habeatur non minimos, exinde tamen sinistram absolute dignorem esse non sequetur. Ita Hormisda Pontifex Aenodio Ticinensi Episcopo multa concessit privilegia, inter quæ etiam primum sessionis locum a Sinistra Pontificis inter Episcopos, idque ob recte & legitime gestam legationem ad Anastasium Imperatorem de quo Bernhardius Saccus *Lib. VIII. Tacinens. Histor.* Eademque ratione ab Anastasio Pontifice Berengarius Italix Rex pro Episcopo Papiz urbis jus a Læva Pontificis assidendi obtinuit, teste Carolo Siganio *Lib. VI. de Regno Italiae.* Sed dignitas hæc Sinistræ, prærogativæ manus dextræ nihil quidpiam derogat.

S. XVIII.

s. XVIII.

Ita quoque non quidem ex merito, sed in odium quoque atque vindictam alterius Dexteram tanquam digniorum locum assignatum reperimus. Id quod fœminis Genitibus olim obtigisse legitur, urbe a Carolo Vto, Imperatore capta Is enim supplicii in viros loco sanxit, ut fœminæ viros præcedant virginesque cristas gestent & variegatis coloribus utantur, Viri è contrario pulli & atrati incederent DEXTERAM semper uxoribus relinquentes, ut tradit Ubertus Folieta, Lib. IV. Hisfor. Genu. Vtrum autem alias fœminis ex suo merito Dextra debeatur, & quo jure, apposite habetur in Tentzelii colloquiois menstruis Anno MDC LXXXIX. pag. 696. ubi Autor Collocutores sequentem in modum inducit: Ich möchte gern benachrichtigt seyn ob die alten Deutschen/ihre Weiber auch auf der Rechten Seiten gehen lassen wie heut zu Tage die grande modo mit sich bringet, Resp. Man muß in solchen Sribenten nachsuchen/ die honoriatore dextræ loco geschrieben/ antwortete Constantin: das ist wohl unbonndhen antwortete Herr Leonhard , weil den Frauennimmer schlechte Ehre daraus zuwächst/ wenn es anders wahr ist/ was P. Knüttel zu fragen schreibet/ und der Thomasin im verlochenen April ansöhret: der Ehrl. Pater bringet vor Eva häfte aus Ehrgeiz zu erst nach dem verbothenen Appfel gegriffen/ das sie zu erst eine Göttin wurde und über Adam giengen/ weil sie aber keine Göttlichkeit bey sich gefühlet/ dem Adam auch davon zu essen gegeben/ welches sie nicht würde gethan haben/ wenn sie empfunden hätte/ das die Schlange wahr geredet/ deshalb den glaubet er/ das das Mannes Volk also das Frauennimmer nicht aus Ehreerbietung/ sondern zu ihrer Beschimpfung oben an gehen lassen/ ihnen dadurch gleichsam vorzurücken/ das sie im Paradies nach der Oberstelle getrachtet und schändlich wären betrogen worden.

s. XIX.

Quod si vero duobus TERTIVS superveniat, tum Mediuss locus communis ratione pro honoriatori habetur sive
E
sedeant,

fedeant, sive deambulent uti tradit Gregor. Thelosanus.
Lib. VI. de Rep. Cap. X. n. 2. & Barth. Chassanxus *Catalog.*
Glor. mund. part. I. confid. XIII. allegans Sallustium in Jugurtha,
 quod Numidae locum medium pro digniori habuerint. Et ideo ut dicit Barthol. Veronens. *Tr. de Imperatore*
Eugen. in verbis Ratione dignitatis, Dux Venetorum, stat in me-
dio Sex consiliariorum.

S. XX.

Regulariter ergo uti diximus, in plurimum concursu
 emper MEDIVS locus est dignior, quod observat & Thomas Morus in *descriptione Utopia Lib. II. Tit. de commerciis mundi*
 ubi ait: *In Utopia medium mensa summum locum esse, id quod*
servant & nostratum aliqui in mensis ovalibus, medium ubi planities
seculatudo est amplior, digniorem constituentes locum. Apud Ita-
 los tamen honoratior habetur locus, qui muro vel parieti magis est
 propinquior, sive is a dextris, sive a sinib; existat. Consuetum
 id quoque Romanis, quibus medius locus semper pro ho-
 nestissimo habebatur, uti de Claudio testatur Suetonius in
vita cap. XXIII. quod de majore negotio, aucturus, in curia medius in-
ter Consulum sellas Tribunitio sub sellio confederit, & Hadrianus
 teste Spartiano, servo inter duos Senatores ambulanti
 colaphum jussit impingi, quia locus iste dignior servum
 non decebat, ita & in accubitu dignissimus semper ha-
 bebatur medius, proximus qui supra, tum qui infra re-
 cumberent Cicero *IX. ad Famil. ep. alt.* Horatius *Lib. II. serm. ult. v. 20.* Idem quoque in veteri Ecclesia a Chri-
 stianis observatum fuisse novimus. Ita in Concilio Con-
 stantinopolitano *VI. Act. 1.* Legitur: *Imperator in concilio me-*
dius sed & in Concilio Niceno: cap. per sonis XCIII. dist. &
diaconus in medio Presbyterorum sedere non potest. Quod etiam
 in Anglia, nec non Augustae Vindelicorum observavit Jo-
 sias Nolden in *Synoptica tractatione de statu Nobilium cap. X.*
nun. 81. in fin. Norimbergæ sane hodienum non medium
 sed superiorem locum dignorem esse constat, ut vel ex
 eo satis pateat, loca tempora & circumstantias alias bene
 atten-

attendendas esse adde Joh. Andr. Cris. d. tr. Cap. IV. num.
29. seqq.

§. XXI.

Ad causas publicas pertinent omnino Confœderationes atque pacis Conclusiones, in quibus dextrarum junctio tanquam commune fidei symbolum locum habet. Quare & Romani in memoriam pacis conclusæ in nummis suis sèpius duas dextras conjunctas repræsentabant. Sic & ad easdem causas Publicas inferenda quoque est Præstatio Homagii quod à subditis recipiunt Principes, ubi attollitur illorum Dextera cum votiva acclamatione VIVAT, quod in nuperrima Solennitate Homagiali Bandes Huldigung SERENISSIMO DUCI SAXO-ISENACENSI IO. HANNI WILHELMO ab hujus urbis ac Provinciæ incolis celebrata observavimus, cuius occasione plura hic adducere possemus, sed tempori est parcendum, commodior tandem forsitan sequenti sectione orientur occasio.

§. XXII.

Habet quoque Dextera usum atque Majestatem suam in Principum subscriptionibus, Principum enim mandata immunitates, privilegia, aliaque vim non sortiuntur nisi a Principe subscripta per L. i. C. de Mandatis Principum quæ alias sacra adnotatio adpellari solet L. 2. C. de pet. bon. sublat. In de bene Andr. Gaius de Pace Publica Lib. I. c. V. inquit. *All* veritatem precum plurimum facit subscriptio summi Principis, cjuæque Cancellarii, qui olim Quæstor Sacri Palatii dicebatur teste Cuacio ad L. fin. C. de pet. bon. sublat. Is enim petitionibus subscribebat, his verbis, *QUÆSTOR LEGI*, quem morem adhuc hodie in aula summi Principis, puta Imperatoris observari videmus, nam Imperator primo precibus subscriptis, postea ad confirmationem rescripti ejus Cancellarius sive quæstor Sacri Palatii his verbis VIDIT. N. quod antiquitatis veneratione observandum est. Hæc autem subscriptio manu dextra fieri solet. Quare & Dextre Triumphalis absolutio dicitur L. 13. C. de Murilegylis & Gyneciariis, XI. 7. & Triumphalis dextræ confirmatio L. 14. C. Tb. de annonis civi-

libus. Utrumque uti ex Verbis & ex Legum contextu patet, nihil aliud notat quam principis subscriptionem quam Eusebius alias Lib. II. de vita Constantini vocat ἵποσημείωσιν γυραφοτῆς αὐτὸς δεξιας.

§. XIII.

Id unum addimus interim de MANUMORTVA quam dicunt, per quam intelligitur, jus atque Perceptio quæ competit in piis locis ex hereditatibus suorum hominum, vi cuius mortuo quidem patrefamil. Episcopus aut advocatus Ecclesiæ der Stifffs. Vogt juxta cum veste præcipua pecus optimum, sub titulo Haubt Recht. Haubt Galli mortua vero Matrefamil. lectum, aut aliam supellectilem ejus optimam sub nomine Gewandt Galli sibi vindicat, si vero tale quid non reliquerit, manus quondam abscissa viro redditaque Episcopo traditur Lehmann Chronicus Spirensi Lib. II. Cap. XXII. fol. 355. Speidelius Specul. notabil. verb. Haubrecht. fol. 576. So hat man den Verstorbenen die rechte Hand abgehauen und den Herrn geließert. Illo forsitan prætextu quod fidei atque industria debitæ immemor subditus, Dominus autem vel manu vacua Jus suum tueri voluerit. Exinde etiam tales coloni hodie Gallis talliabiles vel manus mortuæ homines dicuntur. Alia vero ratione ecclesiæ & sacra corpora manus mortuæ dicuntur, quia ad præstationes publicas nihil quid piam conferunt. Vid. Jacob Gotbofr. adit. C. Theod. de Episcop. & Cleric.

SECTIO V.

DE CONTRACTIBUS.

§. I.

NVNC a causis publicis progredimur ad privatas, & civilem hominum conversationem, in qua non minorem dextræ manus reperimus usum, atque autoritatem, cum in simplici ac libero commercio, tum in contractibus. Præprimis hic

hic adnotamus militum quorundam artificium, nominatim Hydrophylacum seu aquariorum manus olim fuisse signatas : *sigmata inquiunt Imperatores Arcadius & Honorius in L. 3. Cod. de Fabricensib. XI. 9.* Fabriensum brachis ad imitationem tyronum infligantur & de Hydrophilacibus Zeno Imperator in L. 10. Cod. de Aqueduct. X. 42. Singulis manibus eorum felici nomine pietatis nostra impresso singulare decernimus.

§. II.

Quæ ipsa signatura dominii credo & addictionis nota fuit. Fugam enim ac latitationem pro causa allegant Imp. d. L. 3. & L. 10. C. de aqueduct. ut hujusmodi adnotatione manifesti sint omnibus. Binæ autem stigmatum erant species, prima, quæ ob crimen aliquod pœna causa, ut furibus vel servis stigmatitis in urebatur de qua agit L. 17. Cod. de Panis vel fugitivis. Altera species non in pœnam, sed notitiæ atque indicii ergo imprimebatur, ut illi manifesti siant omnibus L. 10. C. de Aqueduct. & si forsitan fugitivi facti statim possint retrahi. Quibus notis & tyrones in militia notari soliti, de quo Vegetius Lib. I. cap. VIII, non statim, inquit, punctis signorum scribendis tyro & Lib. II. c. V. ait *Vitturis in cete punctis milites scripti.* Manibus autem tales notas in primis solitas docet Gregorius Epist. II. ubi mentionem facit constitutionis Mauriti, dum ait, ne quis manu signatus ante explorationem militiam ad monasteria migret. Dextram autem manum potissimum fuisse signatam credendum, quia illa præcipue in propatulo est.

§. III.

Neque tamen tumultuarie, ut vulgus solet, absque præviis, ad contrahendum cum aliis irruimus, sed primum est, ut innotescamus nobis invicem, ut salutemus, ac tum demum mutuæ nos fidei committamus. Dextera quoniam signum pacis erat atque salutationis: Camerar. hor. Subcesv. Cent. I. Cap XXXV. fol. m. 163. seq. Dextera se invicem antiqui venerabantur; Cujus rei causam Varro, Callima-

chum secutus, esse ait, quod omnis Veterum Autoritas, dexteræ manus virtute constaret, Propterea inquit Majorum hec fuit salutatio, ut bac porissimum corporis parte se venerarentur Cœl. Rhodigin. Lib. IV. Cap. III. col. 172. D. vnde & Germanis hodienum ea remansit consuetudo, ut se mutuo salutantes atque excipientes dextram porriganter. Dextra Hospitiū Symbolum apud veteris Germaniz populus. Lingones præcipue, fuit servatum, ita ut dexteræ effigies hospitiū Symbolum notaret & in columnatis tesseram Tacit. I. Histor. c. LIV. Misera, inquit, Civitas Lingonum vetere instituto Legionibus DEXTRAS HOSPITII insigne, sed & aliis Gentibus id moris fuisse. Virgil. III. Aeneid. V. 83. innuit, dum canit
Jungimus Hospitiū dextras & testa subimus.

§. IV.

His ita præmissis magis combinantur animi, familiares oritur conversatio, crescit fiducia, & faustus paratur ad mutua commercia ingressus: Progredimur in iisdem, eo quidem ordine, ut primo res aliqua arrideat, placeant actiones, an dimittere illam, locare operas velit percutiamur, annuit ille, convenimus inter nos, interponitur consensus, mox & fides, cuius itidem ab antiquissimis temporibus signum externum est manuum conjunctio, Dexterarum facta comploſione, Wenn man einander die Hand eingeschlagen/ ut fidem antiquitus spondeti solitus refert Cœl. Rhodig., Lib. IV., cap. III. colum. 172. D. Speidel. in speculo notabil. Lit. D. Dexteram enim in fidei symbolum porrigi etiam Livius I. C. XXI. notat, & adhuc dum in usu est, ut in signum factæ obligationis, apud nos plerumque datio dexteræ intervenire solet, Schneidewin. ad Rubr. Inst. de V. O. Neque vero sponte retrahunt, sed tertius discindit daß ein Drittman aus oder durchschlagen muß, non tam ut Arbitr̄ aut tesis, sed ut direm̄tor, tanquam sponte nostra non nisi impleto promisso, minime recessuris, so viel an uns ist/ Nisi quis doceat interesse suum, & jura meliora.

§. V.

§. V.

Atque hujus quoque rei vestigium reperimus in jure canonico. c. i. de spons. duor. Et licet quidem Matrimonium non sit contractus, per eundem tamen introducitur, seu intervenit Matrimonio contractus, ut Dominii translatio in Mutuo, quod tamen haud est alienatio, aut Dominii translatio. Itaque per Notarios plerumque hæc verba instrumentis inseri solent, unde habent es beyde Contrahenten einander mit Handgebender Treue versprochen und zugesaget Gyland. Lib. I. Decis. XII. n. 12. fol. 173. pr. Inde quæri solet, utrum manuum porrectio atque complicatura sit de substantia contractus? ita quidem ut quamdiu ista non fuerit perfecta, neque contractus, sit perfectus, neque obligacionem inducat, Consensus plane ac fides, quam testantur manus complicitæ, de substantia sunt contractus, non tamen manuum junctura, perinde ut iris non est pluvia, sed illius solum indicium, Manus conjunctæ animos retro conjunctos innuant, consensum neutiquam producunt. Licebit ergo inferre, nondum consenserunt, ergo nec derunt manus, Invertere autem, ac dicere manus non derunt ergo nec consenserunt, minime licebit, vid. Schultz. Synops. Inst. de V. O. sub lit. A.

§. VI.

Sed qui sanctius se aliis, aliosque sibi devincire cupiunt, Juramenti actum insuper addunt, qui certis formulis absolvitur atque solennitatibus, de illis jam nobis non est dicendi locus. Hæ vero partim sunt externæ, ut adpositio crucis, accensio candelæ aut similes, partim a persona pendent jurantis, qualis est manus erectio. Manus ut commune, & corporis partibus omnibus proficuum membrum a Legum latoribus juramenti præstationi destinata est, ait Camillus Borellus de Magistratum Edictis Lib. I. cap. XIV. num 33. ad 54. ubi novem ejus rei adducit rationes, plerasque a situ ac habitudine manus ad membra cetera desumptas.

§. VII.

§. VII.

Primam ex eo sumit, quod sicut Syndicus universitatis nomine, cuius repräsentet personam, agat, sic manus tanquam commune membrum jurans, pro universo corpore in commune spondere dicatur. Secundam facit, quod uti manus instrumentum sit soli homini proprio competens, ita & manu tanquam membro homini convenientissimo usitatori ac magis accommodo, juramenta recte præstentur. Vana enim ac ridicula est quæstio illa, an quoque pede præstari possit juramentum, de qua Marcus Mantua in tract. de Major. XIV. annorum efficaciter obligando fol. m. 19. verf. Tertio queritur, pedes enim ad id creatæ, ut terram premant, non ut elevantur. Tertiam a sensu desumit in manu magis radicato, seque ibidem exserente. Sed nullum exinde video consequentiam, nisi hoc forsitan velit. Manus oculatas esse, credere quod vident, seu quæ ore promissa ab implemento manuum pendere. Quartam ait quod manus organum organorum totius humani corporis esse dicatur secundum Aristotelem. Lib. III. de Anima text. 38. Galenus de Usu part. Lib. I. Cap. II. & Cap. IV. Quintam rationem ex eo sumit, quod manus cordi dicatur esse propinquior. Sexta coincidit fere cum tertia, sumpta a Tactu, sensu certiori atque constantiori, qui se per omnes corporis partes diffundat. Septimo loco dicit, quod sicut manibus omnia faciat homo, nihil quoque mirum esse, si pro servandis promissis jusjurandum manibus præstet. Octavo dicit, jusjurandum voluntatis esse, manuum autem actiones ipsas etiam voluntarias ac manifestas, id circa sicuti promissiones voluntarie ac manifestæ sint, ita quoque juramento manibus elatis præstito, recte firmentur. Tandem ait, manus ad communem hominis usum aptiores esse atque commodiores, consequens ergo sit, ut aptiori ac commodiori membro præstetur jusjurandum. Quæ ratio prope convenit cum quarta, singulæ autem generales sunt nimis & a corpore petitæ, imo nec minus dextræ quam sinistræ

sinistræ convenient, ita ut ex iis nulla dextræ prorogativa induci possit.

§. VIII.

Hæc ergo expedienda erit quæstio, ecquid perinde sit, utræ juretur manu? Sive an in juramentis sinistra quoque manus elevari possit. Ratio dubitandi hæc est, quod juramentum in animi consilat declaratione, atque elevatio manus ad extra tantum accedit, perinde ergo sit, utra elevetur manus sive dextra sive sinistra, si modo juramentum alias rite fuerit præstitum. Immo casum sæpius existere, ut vel dextra plane quis, vel ejusdem usu impediatur, atque tum, cum necessitas legem non admittat, si vel maxime pro solennitate ac forma externa receptum sit, ut dextra in juramentis eleveretur, nihil impedit, quo minus sinistra tanquam vicaria adhibetur, cum non manus elevatio, sed invocatio numinis de essentia sit juramenti, ista autem ad ceremonialia tantum ritumque externum pertineat, arguento eorum quæ leguntur in addition, ad Vranium in Cap. Fraternitatis, de Testibus, Lit. D, fol. 140 & seq. apud Speidelium Speculo notab, fol. 564. Ast generalis est regula ubique recepta, dextram in juramentis esse elevandam, si quis morbus aliusve casus impediatur, quo minus dextra id fiat, Exceptio est a regula. Dextra enim cum ob agilitatem suam promptior est æque ac validior, ita nobis quoque signum est cum potestatis tum dexteritatis, prudentiae ac felicitatis. Et dum precantes manum ad Deum elevamus, Dextra signum est invocationis atque obtestationis, quasi iurans aliud non, nisi divinum expectet auxilium.

§. IX.

Hæc tamen in juramentis potissima videtur causa, quod dextram fidei ac virtutis ministram jam antiqui putaverint, Dextram inquit Servius, Numa Pompilius FIDEI consecravit. Quando nimurum is flamines ad fidei templum bigis arcuato curru, id est, desuper obteles, ac velut fornicato vehi jussisset. Manu quoque digitos usque involutare a divinam facere voluit, significans

Sectio V. de Contractibus.

42

ficans symbolice FIDEM tutandam esse ac ejus sedem in dexteris esse sacratam. Atque exinde inter Persas manus porre Etio maxima censetur esse fidei: uti testatur Plethon. Gemistius de Reb. Graecor. Lib. II. apud Cæl. Rhodig. Lib. IX. Cap. XXII. col. 483. Lit. D. Hinc Cicero II. Philippic. Dextere, inquit, que fidei testes esse solebant, perfidie & scelere violante. Idem post redditum in senatum. Qui mibi primus afflictio & jacenti consularem fidem dextamque promisit.

S. X.

In hoc tamen adminiculo dextræ, jurandi ritu aliqua adhuc varietas notanda venit, cum eandem modo elevamus modo deprimimus, modo peccatori admovemus vel eadem quidpiam tangimus. Proponuntur nimirum juraturis aliquando Sacra Biblia, figuræ sanctæ crucis, aut alia, quibus inter jurandum imponant manum, cuius moris mentionem videmus factam apud Cominatum Lib. V. dum de Solenni isto induciarum actu inter Eduardum Angliæ, & Ludovicum Galliæ Reges, celebrato & mortuo iuramento firmato ita loquitur, *Quam affensisset ille, ponitur in medium liber Sacratus, & alia quedam religiosa, in ambo super imponebant manus & Sanctissimo jurejurando pollicentur, omnia se bona fide esse servatores.* Sic etiam testes quoque manu elevata jurant, & suam fidem interponunt, veritatem dictorum in se recipiendo & autoritate sua firmando.

S. XI.

At juramenta promissoria, cum alteri nos obstringimus, non semper cum ista manus elevatione prastantur. Sed alia sape tangendo, obligationis nostræ admonemur. Femori quidem suo tacto Abrahamus a servo suo Genes. XXIV. 21. Jacobus a Josepho filio Genes. XLVII. 29. juramentum exigebat, tanquam benedictio inde in gentes prodiuita sit, uti tradit Setserus de Juramentis Lib. I. Cap. XV. num. II. p. 33. In Ecclesia novi federis Evangeliorum liber excitandæ majoris venerationis gratia jnaturis proponitur, unde ex scripturæ terriboles vocantur in L. 13. §. 4. Cod.

de

de Judic. isque vel manu tenendus ut est in *Can. Quoties C.*
1. qv. 7. *ibid.* Vnde jurans dico per Deum omnipotentem
& hæc Sancta quatuor Evangelia quæ in manibus meis te-
neo, vel eidem codici priores duo digiti imponendi. *C.*
Hortamus. *C III.* qv. 9. *Leg. 7. §. 5. Cod. de curat fur. L. 2. pr. Cod.*
de Jur. pp. calumni. L. 14. pr. Cod. de Judicis.

S. XI.

Ampliamus hoc (I) tactum illum Evangelium re-
mitti nemini, cuius etiam cunque sit conditionis: Nam
& Electores Seculares in Eleccióne Imperatoris ad ean-
dem ceremoniam obligati secundum *Tit. II. pr. A. B. de Se-
cularibus Ecclesiasticis* autem Honoris & reverentia causa
dextera ad pectora applicata jurare permisum, ibi. Da-
venn die Geistlichen Churfürsten vor dem Evangelio St. Joha-
niss, in principio erat verbum so man ihnen vorlegen sollt ihre
Händ mit Erbarkeit auf ihre Brust legen. Aber die Weltli-
chen Churfürsten dasselb Evangelium leiblich mit ihren Händen
berühren sollen.

Ampliamus (II) Judæos dextram non solum sed et-
iam integrum juncturam in librum, decem præcepta con-
tinent, imponere tenentur per *Ord. Cameral. Part I. Tit.
86. de quo etiam Myslinger. Cent. VI. ohf. 20. Sesser. de juram.*
Lib. III. Cap. III. num. 60. p. 300.

Declaramus (III) de fœminis, quæ juraturæ nec ele-
vare manus nec Evangeliorum Codicem tangere, sed ma-
num dextram pectori Sinistro applicare jubentur. Nec
tamen ex eo, quod iis cum Ecclesiasticis electoribus quid-
piam sit commune, aut quod tanti Principes jure censéa-
tur fœmineo, sed plane alia ex ratione. Sane de jure Sa-
xonico *Lib. I. Tit. 5.* Clerici censentur juxta cum fœminis
quantum ad perceptionem Geradæ conf. *Carp. ad p. 3. Conf.
XI. def. 8. & Conf. XXXVIII. def. 38. & seqq.* Hoc autem fœ-
minis non datum est in prærogativam sed in subjectionem,
ut putat *Sesser. d. tr. Lib. I. Cap. XV. n. 19. p. 84.* quem ad-
juvari putem scriptura sacra, qua pulsatio pectoris signum

F 2

semper

semper submissionis, humilitatis atque penitentiae est *Luc. XVIII. 13. & XXII. 48.* Electoribus autem illud privilegium loco concessum minime ergo in Subjectionem.

§. XIII.

Plane ut bona fides etificanti nihil profutura, quippe digni domino et que dupli estimationem solvere tenetur ac mala fide etificans, ea tamen est differentia, ut iste duplex tanquam meram rei estimationem, hic autem non estimationem sed in penam solvat, ita ut actio de tigno juncto priori casu sit mera rei persecutoria, posteriori autem mixta penalitatis, confer. Sutholt *disput. Inflit IV. tb. 43.* B. Dn Struv. *Exerc. 48. tb. 30. pr.* Magis apposita Dn. Stryck. *Tr. de jure sensuum Dissert. VII. Cap. I. n. 41.* dici posset scribit. Hac ipsa peccatoris tactura mulieres in testem vocare propriam conscientiam ac significare se ita veritatem dicturas, sicuti id cor, quod in sinistra parte creditur collocatum, tangant sequi si pejeratur, animam quem in corde potissimum habet sedem, perdituras.

§. XIV.

Pro prerogativa discrimine liceat mihi hoc adducere, quod in Aur. Bull. admotio dexteræ ad pectus neutquam opponatur elevationi, tanquam auctoritatis signo, quippe quod ibi ne secularibus quidem praescriptum est, alia longe ceremonia vertitur ibi nempe ritus Evangelium tangendi qui secularibus injungitur, Electoribus autem ecclesiasticis illud manet præcipuum, quod planam ad pectus applicent manum. Feminæ digitos priores expansos, posteriores manu implicatos ad pectus applicari jubentur. De Juramento Imperatoris coronationem in Specie notandum, quod UTRAMQUE MANUM super altare ponendo, illud ipsum præstare soleat, quem ritum ut & juramenti formulam refert Melch. Goldast. Politischen Reichshändeln. part. I. pag. 22. Dn. de Jena de Elezione Imper. *Diss. 5. tb. 9.*

§. XV.

§. XV.

Antequam hanc mittamus materiam, tria adhuc decidenda erunt (I) Quod si de ritualibus hisce quid omisum fuerit, ut si omessa forsia ceremonia vitiet integrum actum jurandi? cuius resolutio pendet ex illo præjudiciali, Num talis ceremonia sit de substantia iuramenti, de Proprietatibus esse supra diximus. Inde & ritus a ceremonia dicitur quam inter adjaphora refert. Carpz. Cent. I. Decif. LXXXVII. num 17. & Cent. II dec. IC. num. 9. Formale autem juramenti non in ceremonia quadam externa, sed in religiosa ad maiorem confirmationem, ac in testimonium facta divini numinis invocatione consistit. Hæc ubi adest, ibi quoque juramentum est firmum, quippe cum hæc ipsius naturam ac essentiam absolutat. Rauchbar. part. II. Quest. II. num. 69. Matth. Coler de process. Executiv. part. I. Cap. X. num. 245. atque ita in supremo Elector. Saxon. Appellationum judicio Term. Trinitat. M. DC. XXIX. pronuntiatum esse refert Einckelthaus obs. CXVI. num. 27.

§. XVI.

Declaramus tamen de casu, quo non aliud quam juramentum in genere ad actum al. quem requiritur: ita ut fallat illo casu, quo juramentum corporale sub his formulæ ac ritibus, speciatim expressis requiritur, ut in renunciationibus Jurium muliebrium, in Electorat. Saxon. ut docet Carpz ad p. 2 Conf. XVI. dec 6. num 13. ubi id Responsis Scabinorum, & dicta decif. CIC num. ult. ubi sententia supremi senatus appellationum confirmat, quod novissima Elector. decif. XXV. confirmatum, quanquam Richterus ad Authent. Part. II. decad. IV. num. 6. in ceteris Saxoniz dum Provinciis id haud exigi scribat.

§. XVII.

Deinde (II) objiciunt alii annon ritus ille, manu elevata vel evangeliorum codicem seu res religiosas alias tangendo, jurandi, superstitionis quidpiam oportet? ac consequenter an salva conscientia servari possit? Movit hac

in re sane quosdam Donellus *Comment. Lib. XXI Cap. XIII.*
 Taetum Evangelii ex ignoratione verbi divini inductum
 scribens, nec levem esse contumeliam, si quis sine eo satis
 juratum non putet: quasi quidquam sanctius in Evange-
 lio sit, quam in eo qui Autor est Evangelii. & rerum omni-
 um. At enim κατ' ἀνθεπτον, eum locutum ibi, atque ex
 mente quorundam & abusu, patet ex tractatu ejus *de jure*
jurand. *Cap. XIII. med.* ubi de ritu illo in se & abstractive
 considerato loquens, nihil superstitionis habere asserit.
Vid. Hilliger. Don. Enucleat. Lib. XXI. cap. XIII. B. pag. 843.
fin. Lib. XXIV. cap. XIV. It. pag. 1229. & prolixus atque eleganter
Cap. XXI. Z. 1302. seq.

§. XVIII.

Sed ut ad Tertiam veniamus questionem, qua huc
 est, utrum illa, de qua supra diximus, dexterarum mutua
 implicatio, juramentum inducat, aut pro juramento suffici-
 at. Ita enim quandoque testes remitti sibi juramentum, co-
 piamente fieri petunt promittendi porre etia dextera. *Quod*
Affirmative decidit Colerus Processu Executivo part. I. Cap. X.
n. 248. & seq. Idque vel maxime verum esse scribit, num. 249.
*De Personis in dignitate constitutis, Principibus, Comiti-
 bus, Nobilibus, Doctribus, & quibusunque Personis*
aliis honestioribus. Rulandus tamen *de Commiss. Part. II.*
Lib. II. Cap. XI. n. 31. fol. m. 46. veritati magis consentaneum
 estimat, Commissarium exceptions illas non admittere,
 ac si potentem forsitan principem cogere nequeat, ad Prin-
 cipem suum, cuius negotia gerit, id referre debere num.
 48. & contraria proixe resolvit, quem Autorem juxta-
 cum Colero tanquam idem sentientem Wehnerus *Ob-
 serv.* *Praet. verb.* *Handgegebene* *Tract.* pag. m. 273. *Med.*
 allegat.

SECTIO

SECTIO VI. DE JUDICIO TAM CIVILI QVAM CRIMINALI.

§. I.

Contractus Aristoteles alios voluntarios alios involuntarios facit, per quos intelligit delicta, quæ ipsa manu patrantur, ut adeo manum absolute positam, pro facto illicito accipi supra jam viderimus: quo ipso tamen ad vindictam paratam dextram judicis potius, quam impias delinquentium manus considerandas me accingo: atque adeo de officio ac jure manns dexteræ circa Judicia pauca dicenda erunt. *Judex* quidem antequam judicium aperiat, & litigantes partes admittat, talem se exhibet ut & agnoscit & debita Veneratione excipi possit. Baculum videlicet dextera gerens manu ex quo etiam *Stabhalter*, a gestu atque habitu dicitur, vid. Besold. *commentar. ad jus Principat. Würsenb. Th. III. pag. 489.* Quanquam ejus Vicarius eodem intuitu idem nomen gerat, quod eo ipso, quo eidem partes suas committit, ipse *judex* baculum suum tradit ut innuit *Rabr. Tit. XII. Ord. Camer. Part. I.* welchem in Abwesen des Cammer-Richters der Stab und Richter-Almt anbefohlen werden soll. Istud enim in judicio Camerali vel hodienum moris est, ut dum decreta publicantur, *judex* Camera vel eodem absente, *præses*, cum baculo vel sceptro Ligneo deaurato se exhibeat.

§. II.

Est autem baculis signum judicij civilis: *Gladius* autem Criminalis: licet Imperator Carolus Vius *sæctione Criminali art. LXXXII.* ad mores locorum hac in parte remittat, verbis: *Seinen Stab oder bloß Schwert nach Ländlichen Herkommen eines jeden Orts in den Händen haben und Chrsamtlich sitzen bleiben.* In Criminalibus certe dextrage statutus

Naturae aquae armata de quo ritu Chilianus König Processu, sub
Tt. Wie der Richter sein primitiv Neth. dasgericht recht he-
gen soll/ wann sich der Richter und die Schwäppen in die Banc*e*
niedergesetzt/ so zeucht der Richter das bloße Schwert und
hält es in der Rechten Hand/ mit einem Blech-Handschue an-
gethan/ quo procul dubio innuitur intrepidum judicem es-
se oportere, proferenda in sententia. Partes litigantes
cum intromittuntur ad dicendam causam, stare quidem
sibi invicem ex opposito solent, respecta tamen ad Judicem
habito, actor dextrum latus occupat, Reo sinistrum lin-
quens locum. Atque sic in extremo quoque judicio ser-
vatum iri Salvator noster Matth. XV. 33. seq. innuit. Quam-
quam & hoc ita declarandum, (I) si modo locus ad
hoc ita comparatus vel (II) nisi gentium mores aliud ad-
miserint, apud Colchos enim Rei in judicio ad Latus sinis-
trum, apud Graecos contra ad dexteram, forsitan ad pro-
movendam clementiam constituti Menagius Amenanit. Jur.
Civ. Cap. XXXIV. cœ erum de collocatione in judicio ad
dexteram vid. Campej. Vitringa observ. I. sacrar. cap. IV. & V.
in Act. Eruditor. de Anno 1689. pag 593.

§. III.

Actori in judicio opponitur Exceptio Guaranda, sa-
tisfactionis pro reconventione & expensis, tenereturque Reo
desuper cavere, alicubi data solum dextra etiatio, qui
id manus sua testatur, alicubi tactu baculi quem judex por-
tigit, quod exprimitur: an den Gerichts. Stab angeloben/
an Hand und Stab geloben. Dextra itaque fidem polli-
cetur quam & servare atque promissis stare quis tene-
tur. Quare sive datam fidem fecellerit, sive contra bo-
nam fidem quidpiam peregerit, suas lu. t. poenas. Jure qui-
dem Saxonico antiquo, Actor cum guarandam frergerit
die Gewehr gehürtet/ in caus. civil. solidis triginta, quos
hodie duas Sexagenas antiquas decimus, in Criminali
amputatione manus luere tenebatur. Illud quidem cau-
tum videmus in Land. Recht Lib. II. Art. XV. Wehrbuch
zbi eines Mannes Hand da er die Gewehr mit gelobet
Glos.

Sect. VI. De Judicio tam civili quam Criminali.

53

Glossa Latina ibid. Lit. B. Vers. Denn da ist die Busse des Mannes Hand so er die Gewehr der Klage bricht & *textus* in Weichbild d. Art. CXIV. in verb. mit einer Hand da er die Gewehr mit gelobet hat.

§. IV.

Rigore hoc satis magno ita est constitutum; Declarat autem Glossa ordinaria ibid. (I.) de casu cum agatur Criminaliter, secus si civiliter, tunc enim cum civiliter agatur, paenam dimidium Wergeldum esse ait, quam sententiam refert eandemque sequitur Joh. Schneidevvin. ad Inst. de Action. num. 15. & Ludovico Fachs differ. juris XXIV. in med. Quamquam id ipsum (II.) textus quoque declarat, alternativam adjiciens oder ein halb Wehrgeld duodecim videlicet sexagenas antiquas, quæ decem conficiunt imperiales, ita ut alternativa maneat electio arg. C. in alternativa de R. J. in VI. Schultz, Synops. Inst. Tit. de Att. pag. 548.

§. V.

Illam autem in catusis criminalibus olim consuetam manus amputationem ab usu fori hodiendum recessisse, persuasum fuisse quibusdam Chilianus König. Processus Cap. CXXXIX. §. Begebe es sich aber refert. Contrarium autem patet non solum, ex jure Saxonico particulari Electoratus Saxon. part. IV. Conf. LX. XI. XII. & XIII. quibus variis providetur Excessibus, verum etiam ex jure Imperii universalis. Sanctione Criminali Carolina P. 3. O. Art. CLX. vid. Carpz. Praxi Crim. p. I. Quest. XL. num. 41. & Quest. CXXIX. num. 30. & seq. Non igitur Saxonie hic mos peculiaris, utrum autem Germani hujus vigoris autores fuerint, nec ne, dicendum. Nicolaus Reusnerus Lib. II. dec. XXI. num. 30. probat, eundem quoque apud Egyptios & Græcos usitatum fuisse, ut & legibus Wisi Gothorum & Longobardorum receptum. Jure Sane Hebræorum mulier quæ pudenda viri cum merito suo pugnantis prehenderit, dexteram perdit Dext. XXV. II. seq. unde eandem

G

eandem



§4 Sect. VI. De Judicio tam civilis quam Criminali.

Eandem ad genera poenarum cum illustr. Dn. Lynkerio in *Analect. ad Struv. Exerc. XLIX. T. I. de Poena* pag. 513. referimus, & inter corporis quidem afflictivas referendas, cum Carpz. d. *Quast. CXXIX. num. 32.* censemus, & consequenter meri est Imperii, & ab eo irrogare nequit, cui mixtum solum imperium competit, quo etiam supra allegata glossa Jur. Saxon. distinctio, criminaliter an civiliter agatur, faciebat vid. Gilhausen arbor. *Crim. Cap. I. num. 64. seqq.* fol. 12.

§. VI.

Sed quænam cauſa sit meritoria tam rigorosæ animadversionis, & quod ſubjectum paſſivum cui irrogetur, nunc videbimus. Quantum quidem ad ſexum attinet, ad utrumque ſpectat: Mulierem Hebream æque manus amputationi obnoxiam fuſſe modo diximus, In mares tamen, ut qui Dextra abutuntur frequentius, haec animadverſio magis uifitata. Ac primo irrogatur haec poena falfariis, cum Monetæ tum Scripturarum. Dexterarum abſiſſione multatos fuſſe monetam adulterantes, ex Matthæo Parisiensi ad Ann. MDCXXV. ſcribit Du Fresne col. 73. ſuas quoque adlegans notas ad Alexiadem. Clarius id probat Gothofred. *Authentica Cod. de Mandatis principum, ad Tribonianum in No. XVII. cap. II X. Lit. L.* in qua ſanctio-ne Justinianus Exactoribus Tributorum cataſtra non ex fide ſcribentium, manus amputatione comminatur. Idem ad Mennam Archi-Episc. & Patriarcham reſribit: *Nov. XLII. cap. I. §. 2.* *Scriba falſum ſuper feudo celebrato contra-ētum ſcienter conſribens, poſt amissionem officii cum infamie pe-riculo manū amittat per teſt. 2. feud. LV. in fin.* Eandem in pejerantes poenam statutum notat Speidelius verb. Hand.

§. VII.

Proxime huic accedit violentiæ illatæ poena, quæ eſt amputatio manus, ex constitutione Friderici Imperatoris:

I. ex.

I. ex veriori Cujacii sententia, constitutione de Pace tenenda & ejus violatoribus 2. Feud. XXXVII. pr. vers. quæ talis est. *Si quis alium intra pacis editum vulneraverit, manus ei amputetur.* Quâlis pœna quoque dictata marito, qui uxorem gravidam tam crudeliter habuerit, vt altero die post, mortuum enixa fuerit partum, scribente Richtero volum. II. Cons. CCCXLIV. num. 25. fol. 2013. Istud tamen adhuc notari meretur, ad moderatas quoque pœnas referri hancce manus amputationem, cum a Justiniano. in Nov. CXXXIV. cap. XIII. quæ de pœnarum omnium moderatione agit, tum à ZENONE in sua Nov. XXV. de Receptoris Virginis, eorumque qui in raptu adfuerunt, pœna, qua raptus atrinatus morte omnino vindicatur, ubi autem nulla violentia fuerit adhibita, tunc raptor manus amputatione puniatur, unde si nobili vel militi fustigationis pœna diEtanda veniat manus amputatio in ejusdem locum surrogari solet Carpz. prax. Crim. Qu. CXXIX. num. 58. quæ pœna in jure alias tortura adhuc levior habetur,

§. VIII.

Ampliari tamen dicta constitutio potest (I) ratione numeri, quod ubi indefinita manus iactura sancta, tantum unicæ amputatio sufficiat. Ut Justinianus Imperator Nov. CXXXIV. Cap. XIII. constituit. *Si vero Criminis qualitas, inquit, membra abscessionem exigat fieri, VNAM SOLVM MANVM absindijubemus.* Id quod & in Authent. sed novo Iure Cod. de Serv. fugiti. repetitum. (II.) ratione qualitatis & quidem sinistræ potius, aut si hæc quoque vegeta magis, atque ob id commodior sit alicui, vel dextra eaque arida amputanda Gilhaus. arb. Crim. cap. 1. num 75. Rittershus. in Nov. pag. 700. n. 4. der er am besten entrathen han/ qua carere quisque potest commodius Carpzov. pr. Crim. Qu. XL. n. 43. & Qu. CXXIX. num. 35. Quid si unicam tantum, habeat manum in aliam speciem convertenda est pœna Speckhahn. Cmt. Qu. LXXXVII. Hartm. Pi-

*stor. obs. CLXXXIX. Gilhauf. d. L. §. porro Carpz. Qu. XL.
num. 48. & Qu. CXXIX. num. 37.*

§. IX.

Denique & illud addimus, quod manus amputatio-
ni semper adjuncta sit relegatio perpetua, ob cognatio-
nem quam habet cum fustigatione Carpz. d. Qu. XL. n.
45. & Qu. CXXIX. n. 34. Qvando tamen solum digiti ab-
scinduntur, tum relegatio solum est temporalis, Id. Qu.
LVII. num. 17. & Quest. CXXXII. num. 75. Aliquando au-
tem cum ipsa capitis amputatione cumulatur. Si forsitan
castrum quoddam cura ducis militaris commissum, atque
is hosti, nulla necessitate urgente, tradiderit, quale exem-
plum in Hungaria ex Historiis notum est.

§. X.

Sed & olim nota stigmata, quæ, non notæ cauſa, sed
in pœniam damnatorum manibus imprimebantur, de qui-
bus agit L. 2. C. de Pœnis qua illa in facie scribi plane prohi-
bentur, hac addita ratione, quo facies, qua ad similitudinem
pulchritudinis celestis est figurata, minime maculetur. Dex-
træ tamen manui notam damnationis potissimum inscri-
ptam fuisse putem, utpote qvæ magis in propatulo & ad
usum magis accommodato. Sed hic manus retraho,
cum hæc speciminiis atque exerciti Academicæ loco possint
sufficere, Faveat Conatibus B. L. cum singula pro tempo-
ris ratione satis elimare haud licuerit, meliora
tamen successu temporis spondemus.


T A N T V M.






majori, Pro-Rectorum Academiarum Magnificum, Patres item conscriptos, nec non Doctores omnium Facultatum, generofos denique atque Nobilissimos Dominos Studiofos invitatos decenterse rogatos volo, velint negotios suis tantillum detrahere, frequentesve adesse: quam gratiam quodve officium redhōstire non d

die 18. Maj



Centimetres

Farbkarte #13



B.I.G. CI

GELII,

RIA PRO.
ATIS JU.
DRIS

ERANDI

PRO LICENTIA

SUMMAS IN UTROQUE JURE DIGNITATES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI
AD DIEM 6. MART. MDCC. HORIS ANTE ET PROMERIDIANIS

IN AUDITORIO FCTORUM
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTET
JOHANN. ALBERT. GUTZMER,
ROSTOCH. MEGAPOL.

JENÆ, RECUSA MDCC XIV.

18.

